


1. Bayge /: N. Ehregott Nic. / diff.  
de Sapientia Christi in Electione,  
influidione atq; missione  
Apostolorum, Jenæ 1752.
2. de Balthasar /: D. Jac: Henr. / diff.  
de Doctrina et Praxi in Pomerania  
Suevica, circa Nuptias prohibitas  
Gryphiswaldie 1752.
3. ———— diff. de temporis plenitudine  
Gryphiswaldie 1750.
4. Bardt /: D. Joh: Fried: / diff. de  
applicatione homiletica, Lipsiæ  
1752.
5. Baumgarten /: D. Sigism: Jac: /  
vinciendi vere et realis Corporis et  
Sanguinis Christi in S. Coena presentis  
ab oppugnationibus Benj: Howley Hall  
1742

- 6          diff. de Arpammazia Veterum  
Civitate Christiane Doctorum,  
Halo 1750.
- 7          diff. de Officijs circa varia  
Scandalorum genera, Halo, 1752.
- 8          diff. de Captivanda Ratione  
sub fidem, Halo, 1752.
- 9          diff. de Martyrijs Christianis,  
Halo 1752.
- 10          diff. Orationem, Meditationem,  
tentationem facere Christianum  
et theologum, Halo 1752.
- 11          Academie Rostochiensis programma in festum  
natale jesu christi, Rostochij 1751
- 12          quadragesimale paschale 1746 in festum  
paschale 1752
- 13          in festum paschale  
1752
- 14          in festum paschale  
1752
- 15          Becker / Johs Herm. / diff. de isaaco fedici  
conjugalis Exemplo, Gryphwaldie 1750.
- 16          Bierling / Cons. Fried. / diff. de revelatione  
divina Rintelij 1750.
- 17          Cantz / Israel. Gottlieb / diff. de poenarum  
divinarum participatione, Tubingae 1750  
part. I. et II.
- 18          diff. de Luta precum, Tubingae  
1750
- 19          diff. ex psalmo VIII, vs 3. Tubingae 1740

- 20 Cantz / Israel Gottlieb / Diss. peccata  
coccinea una cum propositionibus  
connexis praecunte Tubingae 1750.
- 21 Chladeny / Joh. Mart. / Diss. de Cardine  
Legis et prophetarum, Elangae 1750
- 22 Clemens / M. Benj. Gottlieb / Diss. de  
Criterio Religionis Christianae primario  
Lipsiae 1752.
- 23 Cotta / Joh. Fried. / Observationes sacrae  
in Act. XX. v. 28. Tubingae 1750.
- 24 Feuerlini / Jac. Wilh. / Diss. de Acceptatio-  
ne juridica ad Sacram redemptionis Hu-  
manae doctrinam applicata, Goettingae  
1752.
- 25 Georgi / Christ. Sigism. / Diss. de  
fidei ΠΑΝΟΡΟΦΙΑΣ Certitudine, Wittembergae  
1752.
- 26 Koenigsmann / D. Otto Ludov. / Diss. Epistolica  
in Josua XI. v. 20, Goettingae 1752
- 27 Heumann / D. Joh. / Diss. de vera vocis  
Comercio significatione, Altorfi, 1750.
- 28 Hirtz / Joh. Frieder. / Diss. de Elia futuro,  
jam manifestato, Jenae, 1752.
- 29 Academiæ jenensis programma in festum  
paschale, Jenae 1752
- 30 Hirtz / Joh. Frieder. / Diss. de Elia  
futuro, jam manifestato, Jenae 1752

31. Hofmann / Gustavi Christoph. / Diff.  
Exegetica ad s. Evangelia, Kiliae 1748
32. Huthij / Caroli Jac. / Diff. Matth. V. vers. 5.  
manuscripte herede heredes, Erlange 1750



Q. D. B. V.  
 SPECIMEN TELEOLOGICÆ THEOLOGICÆ  
 DE  
**TEMPORIS PLENITUDINE**  
 AD GAL. IV. 1-4.

---

QVOD  
 DIVINA ADFVLGENTE GRATIA  
 ET CONSENTIENTE VENERANDO THEOLOGORVM ORDINE  
 IN ACADEMIA REGIA GRYPHICA  
 PRÆSIDE  
 VIRO MAGNIFICO SVMMÆ VENERABILI  
 ET GENEROSISSIMO DOMINO  
**JAC. HENRICO de BALTHASAR**  
 S. S. THEOLOGICÆ DOCTORE ET PROFESSORE PRIMARIO  
 REGII CONSISTORII PRÆSIDE GRAVISSIMO  
 ECCLESIARVM PER. POMER. CITER. GENERALI SVPERINTENDENTE  
 ACADEMIÆ GRYPHICÆ PROCANCELLARIO PERPETVO  
 ET CVRATORE SPECTATISSIMO  
 FACVLTATIS THEOLOGICÆ H. T. DECANO &c.  
 IN AVDITORIO MAIORI  
 PRO SVMMIS  
 IN THEOLOGIA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
 DOCTORALIBVS OBTINENDIS  
 DIE OCTOBRIS ANNI MDCCL  
 PVBLICO EXAMINI SVBMITTIT  
**LEVIN MÖLLER**  
 LOGICES ET METAPHYSICES PROFESSOR REG. ORDIN.

---

IMPRIMEBAT HIERON. JOH. STRVCK.



SPECIMEN THEOLOGICÆ THEOLOGICÆ

TEMPORIS PLENTIUDINE

AD GAILIUM

DIVINA ADEPTORUM GRATIA  
ET GRATIA VENERANDI THEOLOGICI ORDINE  
IN ACADEMIA REGIA GRÆVICA  
PRÆSIDE  
VIRO MAGNifico SAMUELE VENERABILI

JAC. HENRICO DE BALTHASAR

ET THEOLOGICÆ DOCTORE ET PROFESSORE PRIMARIO  
RECTORIS FORMÆ THEOLOGICÆ  
ECCLESIAE REGIAE IN THEOLOGICIS SUPERINTENDENTE  
ACADEMIE REGIAE IN GRÆVICA PARSIVIA  
ET CANTONIS THEOLOGICÆ  
ECCLESIAE THEOLOGICÆ IN BRUNNICO

IN ACADEMIA REGIA  
PRO SYMMITS

IN THEOLOGIA HONORARIÆ ET PRIVILEGIÆ  
DOCTORALIBUS CANTONIBUS

DIE OCTOBRII ANNO MDCCLXXII  
PUBLICO EXAMINE SUBMITTIT

LEVIN MOLLER

DOCTOR ET MATHEMATICUS PROFESSOR REGIUS  
IMPRIMENDA: HERON JON STRYKER





SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS.  
MAXIMÆ FIDELI VIRO.  
REVERENDISSIMO. DOMINO.

**DN. HENRICO. BENZELIO.**

S. S. THEOLOGIÆ DOCTORI. LONGE. CELEBERRIMO.

REGNI. SVEO-GOTHICI.

ARCHI-EPISCOPO. EMINENTISSIMO.

ACADEMIÆ. WPSALIENSIS. MI.

PRO-CANCELLARIO.

VEN. CONSIST. ECCLESIAST. PRÆSIDI. GRAVISSIMO.

MÆCENATI. OPTIMO.

ACTOR

HASCE.  
MEDITATIONVM. THEOLOGICARVM.

PRIMITIAS.

CEV.

ANIME. GRATI. DEVOTIQVE.

TESSERAM.

OB.

IMMORTALIA. IN. SE. MERITA.

CVM.

ARDENTISSIMA. OMNIS. SINCERÆ.

FELICITATIS. ADPRECATIONE.

AVCTOR.



P R Æ F A T I O.

222  
 223  
 224  
 225  
 226  
 227  
 228  
 229  
 230  
 231  
 232  
 233  
 234  
 235  
 236  
 237  
 238  
 239  
 240  
 241  
 242  
 243  
 244  
 245  
 246  
 247  
 248  
 249  
 250  
 251  
 252  
 253  
 254  
 255  
 256  
 257  
 258  
 259  
 260  
 261  
 262  
 263  
 264  
 265  
 266  
 267  
 268  
 269  
 270  
 271  
 272  
 273  
 274  
 275  
 276  
 277  
 278  
 279  
 280  
 281  
 282  
 283  
 284  
 285  
 286  
 287  
 288  
 289  
 290  
 291  
 292  
 293  
 294  
 295  
 296  
 297  
 298  
 299  
 300  
 301  
 302  
 303  
 304  
 305  
 306  
 307  
 308  
 309  
 310  
 311  
 312  
 313  
 314  
 315  
 316  
 317  
 318  
 319  
 320  
 321  
 322  
 323  
 324  
 325  
 326  
 327  
 328  
 329  
 330  
 331  
 332  
 333  
 334  
 335  
 336  
 337  
 338  
 339  
 340  
 341  
 342  
 343  
 344  
 345  
 346  
 347  
 348  
 349  
 350  
 351  
 352  
 353  
 354  
 355  
 356  
 357  
 358  
 359  
 360  
 361  
 362  
 363  
 364  
 365  
 366  
 367  
 368  
 369  
 370  
 371  
 372  
 373  
 374  
 375  
 376  
 377  
 378  
 379  
 380  
 381  
 382  
 383  
 384  
 385  
 386  
 387  
 388  
 389  
 390  
 391  
 392  
 393  
 394  
 395  
 396  
 397  
 398  
 399  
 400  
 401  
 402  
 403  
 404  
 405  
 406  
 407  
 408  
 409  
 410  
 411  
 412  
 413  
 414  
 415  
 416  
 417  
 418  
 419  
 420  
 421  
 422  
 423  
 424  
 425  
 426  
 427  
 428  
 429  
 430  
 431  
 432  
 433  
 434  
 435  
 436  
 437  
 438  
 439  
 440  
 441  
 442  
 443  
 444  
 445  
 446  
 447  
 448  
 449  
 450  
 451  
 452  
 453  
 454  
 455  
 456  
 457  
 458  
 459  
 460  
 461  
 462  
 463  
 464  
 465  
 466  
 467  
 468  
 469  
 470  
 471  
 472  
 473  
 474  
 475  
 476  
 477  
 478  
 479  
 480  
 481  
 482  
 483  
 484  
 485  
 486  
 487  
 488  
 489  
 490  
 491  
 492  
 493  
 494  
 495  
 496  
 497  
 498  
 499  
 500  
 501  
 502  
 503  
 504  
 505  
 506  
 507  
 508  
 509  
 510  
 511  
 512  
 513  
 514  
 515  
 516  
 517  
 518  
 519  
 520  
 521  
 522  
 523  
 524  
 525  
 526  
 527  
 528  
 529  
 530  
 531  
 532  
 533  
 534  
 535  
 536  
 537  
 538  
 539  
 540  
 541  
 542  
 543  
 544  
 545  
 546  
 547  
 548  
 549  
 550  
 551  
 552  
 553  
 554  
 555  
 556  
 557  
 558  
 559  
 560  
 561  
 562  
 563  
 564  
 565  
 566  
 567  
 568  
 569  
 570  
 571  
 572  
 573  
 574  
 575  
 576  
 577  
 578  
 579  
 580  
 581  
 582  
 583  
 584  
 585  
 586  
 587  
 588  
 589  
 590  
 591  
 592  
 593  
 594  
 595  
 596  
 597  
 598  
 599  
 600  
 601  
 602  
 603  
 604  
 605  
 606  
 607  
 608  
 609  
 610  
 611  
 612  
 613  
 614  
 615  
 616  
 617  
 618  
 619  
 620  
 621  
 622  
 623  
 624  
 625  
 626  
 627  
 628  
 629  
 630  
 631  
 632  
 633  
 634  
 635  
 636  
 637  
 638  
 639  
 640  
 641  
 642  
 643  
 644  
 645  
 646  
 647  
 648  
 649  
 650  
 651  
 652  
 653  
 654  
 655  
 656  
 657  
 658  
 659  
 660  
 661  
 662  
 663  
 664  
 665  
 666  
 667  
 668  
 669  
 670  
 671  
 672  
 673  
 674  
 675  
 676  
 677  
 678  
 679  
 680  
 681  
 682  
 683  
 684  
 685  
 686  
 687  
 688  
 689  
 690  
 691  
 692  
 693  
 694  
 695  
 696  
 697  
 698  
 699  
 700  
 701  
 702  
 703  
 704  
 705  
 706  
 707  
 708  
 709  
 710  
 711  
 712  
 713  
 714  
 715  
 716  
 717  
 718  
 719  
 720  
 721  
 722  
 723  
 724  
 725  
 726  
 727  
 728  
 729  
 730  
 731  
 732  
 733  
 734  
 735  
 736  
 737  
 738  
 739  
 740  
 741  
 742  
 743  
 744  
 745  
 746  
 747  
 748  
 749  
 750  
 751  
 752  
 753  
 754  
 755  
 756  
 757  
 758  
 759  
 760  
 761  
 762  
 763  
 764  
 765  
 766  
 767  
 768  
 769  
 770  
 771  
 772  
 773  
 774  
 775  
 776  
 777  
 778  
 779  
 780  
 781  
 782  
 783  
 784  
 785  
 786  
 787  
 788  
 789  
 790  
 791  
 792  
 793  
 794  
 795  
 796  
 797  
 798  
 799  
 800  
 801  
 802  
 803  
 804  
 805  
 806  
 807  
 808  
 809  
 810  
 811  
 812  
 813  
 814  
 815  
 816  
 817  
 818  
 819  
 820  
 821  
 822  
 823  
 824  
 825  
 826  
 827  
 828  
 829  
 830  
 831  
 832  
 833  
 834  
 835  
 836  
 837  
 838  
 839  
 840  
 841  
 842  
 843  
 844  
 845  
 846  
 847  
 848  
 849  
 850  
 851  
 852  
 853  
 854  
 855  
 856  
 857  
 858  
 859  
 860  
 861  
 862  
 863  
 864  
 865  
 866  
 867  
 868  
 869  
 870  
 871  
 872  
 873  
 874  
 875  
 876  
 877  
 878  
 879  
 880  
 881  
 882  
 883  
 884  
 885  
 886  
 887  
 888  
 889  
 890  
 891  
 892  
 893  
 894  
 895  
 896  
 897  
 898  
 899  
 900  
 901  
 902  
 903  
 904  
 905  
 906  
 907  
 908  
 909  
 910  
 911  
 912  
 913  
 914  
 915  
 916  
 917  
 918  
 919  
 920  
 921  
 922  
 923  
 924  
 925  
 926  
 927  
 928  
 929  
 930  
 931  
 932  
 933  
 934  
 935  
 936  
 937  
 938  
 939  
 940  
 941  
 942  
 943  
 944  
 945  
 946  
 947  
 948  
 949  
 950  
 951  
 952  
 953  
 954  
 955  
 956  
 957  
 958  
 959  
 960  
 961  
 962  
 963  
 964  
 965  
 966  
 967  
 968  
 969  
 970  
 971  
 972  
 973  
 974  
 975  
 976  
 977  
 978  
 979  
 980  
 981  
 982  
 983  
 984  
 985  
 986  
 987  
 988  
 989  
 990  
 991  
 992  
 993  
 994  
 995  
 996  
 997  
 998  
 999  
 1000
 
 Quemadmodum Deus omnia opera sua in sapientia fecit Ps. CIV. 24: ita quoque ex attenta illorum consideratione hujus radii exsplendescant necesse est. Quoniam vero sapientia Dei merito dicitur scientia constituendi fines optimos, eligendi media, quæ certo, via brevissima & ex asse ad finem ducunt, finesque particulares ita sibi invicem subordinandi, ut propiores sint media remotiorum, & omnestandem simul medium finis ultimi; sponte sua patet, Sapientiam ex operibus Divinis indagaturum, præprimis ad fines Divinos subordinatos, eorumque nexum tam inter se quam cum fine ultimo omnem mentis aciem dirigere debere. Non tamen defuerunt, qui potissimum circa res naturales omnem finium investigationem, ceu temerariam, arrogantiamque documentum damnaverint, rationibus adeo generalibus, ut, iis positis, etiam a sphaera reliquarum rerum, quæ a spiritu finito cognosci queunt, finium scientia penitus exularet. vid. CARTESII *Medit. IV. EJUSDEM Principia Philosophiæ* Part. I. §. 28. Part. III. §. 2. & POIRETI *Cogit. Ration. De Deo anima & mundo* Lib. 3. Cap. 15. Teleologiæ vero Physicæ veritatem jam dudum evicerant GUILIELMUS DERHAMUS, BERNARDUS NIEUWENTYT, Illustris VOLFIUS alique. Neque frustra scientiam hanc in rebus theologicis tentari Theologorum scripta testantur; in primis vero Plur. Reverendi JOH. FRID. JACOBI *meditationes in sapientes Dei fines circa res, quas in societate humana & revelatione offendimus*, & REINBECKII *meditationes in Augustanam Confessionem*, quæ ejusmodi observationum ubertate sese haud mediocriter commendant.

Quemad-

Quemadmodum enim LEIBNITIUS in Act. Erud. pro A. 1682. p. 186. merito taxat eos, qui causas finales in Physica rejiciunt, cum tamen præter admirationem Divinae Sapientiæ pulcherrimum nobis principium præbeant inventendi earum quoque rerum proprietates, quarum interior natura nondum tam clare nobis cognita est, ut causis efficientibus proximis uti, machinasque, quas Conditor ad effectus illos producendos finesque suos obtinendos adhibuit, explicare valeamus: ita quoque meditationes teleologicæ de rebus ad regnum gratiæ pertinentibus, non modo notionem sapientiæ Divinæ vividiorum illustrioremque reddunt & theologiam quandam experimentalem efficiunt; sed etiam pulcherrimum nobis principium suppeditant interdum vias Dei, salutis negotium concernentes, clarius detegendi, quæ in sacro Codice tantum obscure patefactæ sunt. Cum itaque specimen aliquod theologicum ederem; dictum Paulinum mihi in primis arrisit, cui enodando operam meam impenderem, præsertim cum meditationes, quæ mihi antea de illo in mentem venerant, toti Oeconomix salutis tam in statu Patriarchali, quam in Veteri Testamento, haud exiguam lucem affundere, & per plurimos difficultatum nodis, quæ cuivis attentò Testamenti Veteris Lectori facile occurrere possunt; solvendis magno infervire opere mihi visæ sint. Si opera mea Tibi, B. L., haud displicuerit: habeo, de quo mihi impense gratuler. Sin vero spem meam fefellerit eventus: a Te rectiora doceri tam mihi gratum erit, quam quod gratissimum.



§. I.



cum nihil sine rationibus objectivis velle  
aut nolle, ceu dudum evictum ex Theo-  
logia Naturali suppono.

*Schol. 1.* *Rationum Objectivarum* nomine veniunt, quæ ex re ipsa, seu objecto voluntatis, *subjectivæ* vero audiunt, quæ ex conditione appetentis desumuntur. Hinc facillima ad voluntatem Divinam est applicatio. Obiter hæc tantum moneo. Illorum enim methodus mihi semper displicuit, qui in argumento aliquo elaboraturi omnia ab ovo retractant, adeoque terminos notissimos centiesque definitos iterum definiunt, & demonstrationes theorematum ab aliis Auctoribus sæpius datas, immo ubique obvias recoquunt, sic demum se methodi partes explevisse putantes. Cum vero oleum & opera hoc pacto evidentissime perdantur: veniam mihi polliceor certissimam, quod aliam viam in hac opella pertexenda ingrediar.

*Schol. 2.* Quamvis vero, omnium decretorum Divinorum rationes objectivas dari, contendam: non tamen existimandum, nos homunciones, præsertim in statu hoc corrupto, eas posse ubique indagare. Sæpius enim cum Apostolo ad ROM. XI. 33. profunditatem Sapientiæ Divinæ & impervestigabilitatem judiciorum viarumque ipsius tantum admirari cogimur. (Egregiam loci hujus explica-

Λ

tionem

tionem vide in Ill. WOLFII Theol. Nat. Part. I. §. 692.) Quousque tamen progredi liceat, omni nisi pro virili est contendendum, ut eo vividior, adeoque etiam ad fortiora actionum motiva suppeditanda eo fecundior in nobis reddatur Sapientiæ Divinæ notio. ROM. I. 20.

*Schol. 3.* Inanis plane illorum est timor, qui Deum per allatum theorema dependentem fieri suspicentur. Objecta enim voluntatis suæ ipsemet Sibi repræsentat, adeoque in se ipso rationes objectivas cognoscit. Hoc itaque non impedit, quominus ab omni alio ente, a se diverso, sit plane independens. Neque magis audiendi sunt, qui per rationes objectivas in salutis obtinendæ negotio quicquam gratiæ detrahi arbitrentur. Etenim fides, ob quam solam, ceu rationem objectivam, salutis æternæ reddimur participes, ex operatione Spiritus Sancti unice pendet, EPH. II. 8. Patet itaque, etiam secundum nostram sententiam omnia gratiæ, nihil vero naturæ viribus tribuendum esse. Tanto magis autem necesse est rationes objectivas defendere, quanto evidentius constat, illis remotis, absolutum adesse decretum, quod merito extimescunt horrentque Nostrates, conf. Cel. CARPOVII Theol. Rev. Dogm. T. II. §. 148r. & passim per totum illud Caput. IV.

*Schol. 4.* Rationes objectivæ subjectivæ minime excludunt, cum Deus nihil velit, nisi quod perfectionibus suis est convenientissimum. Quin potius utriusque generis rationes amicissime conspirant, & simul sumtæ rationem sufficientem volitionis & nolitionis Divinæ constituunt. vid. Summe Rev. RIBOVII Institutiones Theol. Dogm. §. 636. Hinc etiam sæpius in sacro codice conjunguntur e. gr. JOH. III. 16.

§. 2.

Per *Plenitudinem temporis* intelligit Apostolus relationem, quam nativitas Christi ad successiva hujus mundi habuit.

*Schol.* Phrasis Apostolica ab imaginaria temporis notione, quæ nobis est maxime familiaris, & plurim. s in communi sermone progegnit loquendi rationes, fluxisse videtur. Concipitur enim hic tempus tamquam receptaculum aliquod successivorum, ab his diversum, quemadmodum

admodum spatium notione imaginaria eodem plane modo ut receptaculum simultaneorum repræsentatur. Neque Spiritu Sancto indignæ sunt ejusmodi repræsentandi rationes, quippe quæ rebus facilius clariusque percipiendis inserviunt, uti erudite ostendit Præcl. KAHRELVVS in Meditationibus de Regulis quibusdam artis inveniendi generalibus §. 201. seqq. Hinc etiam in Scriptura Sacra, & in primis quidem in Veteri Testamento sapissime occurrunt.

## §. 3.

Cum nativitatem saluatoris nostri Deus voluerit: necesse est illam suas habuisse rationes objectivas, cur eo potius, quam alio tempore contigerit. (§. 1.)

*Schol.* Tempus quidem nativitatis præter alias per plurimas circumstantias a Prophetis erat prædictum. vid. GENES. XLIX. 10. DAN. IX. 24 - 27. HAGG. II. 7 - 10. & prædictiones Prophetarum afferuntur, tanquam ratio nativitatis & vitæ a Christo actæ MATTH. I. 22. V. 17. Verum enimvero quamvis hæc ratio proxima sit: inde tamen non satiatur animus sciendi cupidus. Prædictiones enim Prophetarum supponunt decretum Divinum, adeo ut, si Deus aliud tempus decrevisset, idem quoque a Prophetis fuisset prædictum. Recurrit itaque prima quæstio: quanam fuerint objectivæ hujus Decreti Divini rationes?

## §. 4.

Quoniam vero Christus immenso beneficio nobis est natus, ut æterna nostra salus promoveretur: facile patet, rationes in determinationibus generis humani, ita comparatis, ut finis Divinus quam optime obtineri posset, quarendas esse.

## §. 5.

Determinationes generis humani sunt vel *constantes* vel *inconstantes*. Cum autem illæ semper eadem sint: nulla in iis ratio locum habere potest, cur nativitas Christi præstituto potius, quam alio tempore facta sit.

## §. 6.

*Determinationes inconstantes efficiunt statum.* Et prout illæ sunt vel *externæ* vel *internæ*: ita quoque hunc vel *externum* vel *internum* esse, ex Metaphysica constat. Patet itaque, rationes nativitatis Christi vel in statu generis humani externo vel interno indagandas esse. (§. 5.)

*Schol. 1.* Ad statum generis humani externum referenda est ratio, quam REINBECKIVS in Part. 3. Meditat. in Augustinam Confessionem & quidem Meditat. XL. §. 68. attulit. Observat laudatus Auctor, antiquissimis temporibus totum terrarum orbem in perplurima valde exigua regna & respublicas fuisse divisum. In hoc statu rerum politico Doctrina Christi & historia vitæ ab ipso peractæ, ob defectum commercii inter dissitas terras propter plurimas interjacentes diversas gentes, difficillimo negotio late fati divulgari potuit. Sapienter itaque sic moderante provida Numinis cura, majora majoraque surrexerunt imperia, in primis Assyriaco-Babylonicum, Medo-Perficum, Græcum & denique Romanum, quorum tria priora licet fati valida & vasta, Asiæ tamen terminis fere omnia continebantur; Romanum vero non tantum omnem fere reliquorum amplitudinem adsecutum est, sed etiam totam Italiam, oras Africæ, Hispaniam, Galliam, Angliam, Illyricum, Pannoniam, maximam Germaniæ partem est complexum. Florente itaque hoc imperio, natus est Christus, ut per omnes illius provincias & finitimas regiones, atque sic tandem per totum terrarum orbem Christiana religio eo facilius teliciusque propagaretur. Præparatio vero hujus præconii facta est sub tribus præcedentibus imperiis per Judæos inter varias dissitasque gentes dispersos, & ubique disseminatam cum iis veram veri Dei cognitionem. Adductæ rationi aliam quidem l. c. præmisit Auctor. Cum vero partim ad hanc classem non pertineat; partim etiam minoris mihi videatur momenti: eam sicco, quod ajunt, pede planè prætereo.

*Schol. 2.* Huc etiam pertinet sic dicta Versio septuaginta Interpretum, quæ novi phosphori instar splendido Evangelii foli non una ratione



ratione præluxit. Quamvis enim Aristæ commentum, a Philone Judæo aliisque auctum, valde infregerit FABRICIVS in Biblioth. Græcæ Lib. III. Cap. XII. §. III. & post CALOVIVM in Critici S. Bib. Diatribe XI. §. 2. seqq. penitus profligaverit RAMBACHIVS in Hist. Eccl. V. T. P. II. pag. 737: veræ tamen Dei cognitioni vel conservandæ vel excitandæ etiam inter gentiles mirum quantum inservivit. Deinde autem in controversiis cum Judæis convértendis a Christo & Apostolis frequenter est allegata, ut ex Prophetarum vaticiniis convincerentur, quod Jesus Nazarenus esset verus Messias, per quem æterna salus obtineretur. vid. BVDDĒI Eccl. Apost. Cap. II. Eundem quoque usum habuit apud gentiles, inter quos veræ Theologiæ semina remanserant. Fuisse autem illa inter gentes longe lateque dispersa, evidenter patet partim ex eo, quod X tribus gentis Israeliticæ maximam partem reditum in Patriam neglexerunt, variis imperii Persici gentibus intermixtæ, præter alias occasiones, quibus Judæi inter gentiles, in primis vero Aegyptios fuere dispersi; partim ex eo, quod Daniel ad Præfecturam Provinciæ Babylonicæ evectus, summus que Antistes & Præses Magorum constitutus est, in quibus aliisque officiis non modo ipsemet veram Dei cognitionem propagavit, sed etiam effecit, ut tria edita sint notatu dignissima edicta de vero Deo per omnes provincias regni babelici colendo, Dan. II. IV. VI. immo eidem fonti adscribendum videtur, quod Cyrus, teste XENOPHONTE De Instit. Cyri Lib. 8. brevi ante mortem de immortalitate animæ & de præmiis piorum penisque malorum copiose disseruit; partim denique ex Magis, Christum natum religioso cultu profecutus, ut carmina Sibyllina taceam, de quibus vid. FABRICII Bibl. Græcæ Lib. I. Cap. XXIX. sqq. & CARPOVII Theol. Rev. Dogm. Tom. I. §. 119. Schol. Immo vero etiam apud reliquos gentiles, græce scientes, Versio Septuagintavialis eum habuit haud mediocrem usum, ut Christianæ religionis dogmata cum Veteris Testamenti doctrina conferentes, novo robore ex utriusque harmonia accedente, de illius veritate redditi sint eo certiores. Ad finem quidem perducta videtur hæc versio circiter duobus integris seculis cum dimidio ante Christum natum vid. FABR. Bibl. Gr. Lib. III. Cap. XII. §. 5. p. 324. quem etiam sequitur BVDDĒVS Hist. Eccles. Tom. Post. pag. 1039. Ob defectum vero typographiæ aliasque remoras circa Christi tempora demum satis nota & divulgata est.

*Schol. 3.* Huc etiam spectat pax in Imperio Romano post innumeros bellorum in primis civilium clades stabilita. Inimmo vero possent etiam alix hujus classis rationes excogitari. Cum vero hoc non directe feriat scopum meum: ad statum generis humani internum paucis perpendendum progredior.

## §. 7.

*Status hominum internus mentis* pariter ac *corporis* determinationes complectitur. *Illas* vero hic modo considerandas, quilibet sine omni demonstratione facilis concedet.

## §. 8.

Determinationes mentis vel ad *Facultatem Cognoscitivam* vel *Appetitivam* respiciunt. Quoniam vero hanc ab illa pendere, adeo notum est, ut dudum in proverbium abiierit, *ignoti nullam esse cupidinem*: sponte sua patet, potissimas in hoc negotio facultatis cognoscitivæ esse partes.

## §. 9.

Determinationes Facultatis Cognoscitivæ inconstantes, quæ hic unice in censum veniunt (§. 6.) vel constituit ipsa *cognitio*, per hanc facultatem obrenta, vel *habitus cognoscendi* usu acquisitus. Rationes itaque nativitatis Christi objectivæ, ad statum hominum internum spectantes, ex alterutro vel utroque hoc fonte hauriendæ sunt.

*Schol. 1.* Ad prius membrum respexit Cel. CARPOVIUS in Theol. Rev. Dogmat. Tom. II. §. 566. Schol. 3. rationem tam seræ nativitatis Christi redditurus. Postquam enim §. 565 conveniens fuisse ostendit, ut Christus non internam tantum animæ, sed externam etiam, corpori ab externis causis illatam, passionem subiret, & §. 566. evincere studuit, hanc neque a se ipso, neque a Deo, neque ab Angelo, bono vel malo, sed ab hominibus inferendam: in scholio 3 inde colligit, Christum incarnandum eo tempore, quo & per cer-

ta criteria ut verus Messias agnosci posset, nec tamen pro eodem ob varias hominum præconceptas opiniones agnosceretur. Tale autem, *ut ipsius laudati Auctoris verbis utar*, erat tempus, quo Christus in carnem veniebat. Data erant per vaticinia Prophetarum V. T. omnia illius criteria, & Johannes Baptista, Jesum Nazarenum esse illum, quem per Prophetas promiserat Deus, ostenderat IOH. I. 26. 27. 29. 31. 34. 36. 45. III. 28 sqq. At his neglectis LVC. VII. 30. illis vero in carnalem sensum detortis, terrenum Messiam, gloria potentiaque humana fulgentem, Judæi exspectabant. Unde fiebat, ut Jesum Nazarenum, qui pro humili abjectaque forma externa non ad palatum Messias erat MARC. VI. 2. 3. I. COR. I. 23. odio & invidia ardentes, cruci adfigerent, quod non fecissent, si agnovissent I. COR. II. 8. Scilicet sub templo secundo, cessantibus Sacris Vatibus, ortoque more verba contextus biblici commentariis illustrandi, dicam an obscurandi, contrariæ opiniones indeque enatæ disputationes, accedente pertinaci studio semel arreptam sententiam defendendi, sectas procaderunt & hæreses. vid. CYNÆVS de Republ. Hebræorum Lib. II. Cap. XVII. p. m. 187 sqq. Inter illas eminebant Sadducæi & Pharisei, quibus PHILO IVDÆVS De vita contemplativa alibique, & JOSEPHUS Lib. XIII Antiquit. Jud. Cap. IX. Esæos addiderunt. Quoniam vero hi, sive fuerint Judæi, ut communis fert sententia, sive Philosophi orientales *isidai* *ἱσδαίωτες*, uti variis argumentis probare nititur RAMBACHIVS in Hist. Eccl. Part. II. pag. 891. 892, in vicis latitabant, publicis negotiis abstinentes: in censum hic venire nequeunt. Sadducæos, quibus Procerum gentis Judaicæ plurimi erant ad dicti, immortalitatem animarum & mortuorum resurrectionem negasse, adeoque præmia non exspectasse nisi temporalia, Phariseos vero, quibus ipsa plebs adhærebat, externam modo obedientiam urgentes, non tantum perfectam legis obedientiam in humanis viribus positam, sed etiam opera supererogationis docuisse notissimum est. Utrique igitur spirituales Messiam sibi non pollicebantur, sed terrenum Regem, qui, jugo Romanorum excusso, rempublicam ipsorum ad florentissimum statum perduceret, immo vero, qui, teste IOSEPHO Lib. VI. De Bello Judaico Cap. XXXI. totius terræ imperium esset occupaturus. Hinc etiam hodierni Judæi, malæ mentis quasi

quasi œstro perciti, festum Purim celebrant, spem nutrientes inanem, se olim, cum advenerit Messias, armata manu contra Christianos grassaturos, non aliter ac ipsis in captivitate Babylonica, permitte Ahasvero, vindictam in hostes suos effundere licuit. vid. RAMBACHIVS l. c. pag. 650. Inde quoque patet ratio, cur populus toties in Libris N. T. legatur voluisse Christum eligere Regem; cur Optimates, facilius subodorantes, Christum solam doctrinæ puritatem vitæque castitatem urgere, non vero regnum aliquod terrenum parare, ipsi quam vulgus fuerint infensiores; cur multi initio doctrinam Christi lati adoptaverint, quam tamen animadvertentes se spe sua delusos, deinde turpiter deseruerunt; & cur denique populus Christum, Hierosolyma regia pompa ingredientem, variis summi favoris reverentiæque documentis profecutus, mox uno quasi ore illum cruci adfigendum ad raucedinem usque clamitaverit. Qui plura de Judæorum Sectis nosse cupit, adeat BVDEI Hist. Eccl. V. T. Tom. Post. pag. 1198 seqq. EIVSDEM Introduct. ad Hist. Philos. Ebræorum §. XIX seqq. IOANNIS CLERICI Prolegom. Hist. Eccl. Sect. I. *De statu Judæorum ad religionem quod attinet*, PRITII Introd. in Lect. N. T. Cap. 33. in pr. ex Edit. HOFFMANNI, LVNDII Jüd. Heiligth. Lib. 4. Cap. XII. XIII. XIV. XV. aliosque Antiquitatum Judaicarum Scriptores.

*Schol. 2.* Ad hanc classsem quoque spectat ratio, quam ex Patribus adduxit GERHARDVS in Exeg. Loc. Theol. & quidem Loc. de Christo p. m. 1280, ut homines, *inquiens*, miseriam suam agnoscentes adventum Messix ardentius desiderarent, ut beneficium diu expectatum eo carius haberent, ac in fide promissionis diligentius sese exercerent. At si rem ipsam loquar, non solide hæc mihi videntur cogitata, cum hic non de voluntate Dei antecedente sed consequente agatur. Tantum enim abest, ut hæc omnia per adventum Christi dilatum fuerint obtenta, ut desiderium ipsius, vere tale, penitus fere sit tandem oblitteratum, quemadmodum ex præcedenti Scholio evidenter constat. Idem ferendum est iudicium de rationibus, quas attulit RAMBACHIVS in pererud. Comment. in Epist. ad Gal. p. 224. Hic tantum addere lubet, opinionem de regno venturi Messix mundano in tantum non omnium animis adeo profundas  
firma-

firmasque egisse radices, ut ejus pertinaciam etiam apud Apostolos tandem post mortem Servatoris expugnaverit major Spiritus Sancti vis & efficacia. ACT. I. 6. coll. cum LVC. XXIV. 21. Ex hoc errore enata procul dubio est vetus illa & constans opinio, in fatis esse, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur, quam toto Oriente percubuisse, & partim rebellionis, partim pertinacissimæ, quam Judæi contra Romanos susceperunt, defensionis causam fuisse, SVETONIVS in vita Vespasiani C. IV. & TACITVS Lib. V. Histor. Cap. XIII. memoriæ prodiderunt. Mira vero eorum paucitas erat, qui cum Simeone expectabant *σωτήριον* Domini, quod præparavit ante faciem omnium populorum, lumen in revelationem gentium, & gloriam populi Israelis. LVC. II. 30. 31. 32. Neque meliora edocti sunt hodierni Judæi. In concilio enim, ad quod trecenti circiter Rabbini, exclusis multis aliis, qui hebraicam linguam non callebant, aut genealogiæ suæ rationem reddere non poterant, in Hungaria A. 1650 habito, non modo agitata illic *questio: an Messias venerit?* per negationem est decisa, sed etiam tres Messias, qui expectatur, characteres definiti, quorum primus est, ut sub habitu Regis victoris & Liberatoris Judæorum a jugo nationum veniret. vid. LAMPPII Synopsin Hist. Sacræ & Eccl. p. 551.

*Schol. 3.* Potiori jure huc referenda est græcæ linguæ cognitio, cui longe lateque divulgandæ, partim victricia Græcorum arma, partim scientiæ artesque, ab iis diligentius cultæ ansam præbuerunt, unde commercium inter gentes redditum est facilius. Cicerone enim teste, græca leguntur in omnibus fere gentibus. Vid. Orat. pro Archia Poëta. Possent etiam aliæ ad hanc classem pertinentes rationes excogitari. Sed ad alterum membrum, tanquam centrum meditationum mearum propero, habitum cognoscendi usu acquisitum paucis exploraturus. Ex hoc enim fonte rationem dilate nativitatis Christi Apostolus in dicto, a me jam dilucidando, hausisse videtur. Ut autem mens ejus tanto facilius rectiusque perspiciatur, brevem antecedentium quoad exstantiores partes sciagraphiam sive analysin tradam. Scilicet præmissis *Introitu*, Cap. I. 1-5. in *Parte Pertractationis Dogmaticæ* a Cap. I. 6. ad IV. 31. veritatem Evangelii, Galatis annunciati, de Justificatione per fidem sine operibus Legis Mosaicæ,

B

tam

tam Moralis quam Ceremonialis, variis argumentis evicit, & quidem 1) ab origine Evangelii prædicati Divina, non vero humana I. 6-24. 2) a consensu ipsi præbito ab iis, qui auctoritate in Ecclesia Hierosolymitana valebant. Cap. II. 1-10. 3) a resistentia Petro facta II. 11-21. 4) a propria Galatarum experientia Cap. III. 1-5. 5) ab exemplo Abrahami, qui per fidem iustificatus est, & in cuius femine etiam per fidem benedicerentur omnes gentes III. 6-18. 6) Ab indole legis Mosaicæ III. 19-IV. 20. quæ a) manifestat peccata III. 19-22, & duxit homines in Veteri Testamento puerorum instar ad Christum 23-29. Hanc doctrinam de officio Legis pædagogico illustrat Apostolus mox ab initio Capitis quarti similitudine, a minorenni petita, quæ proponitur versiculis 1. 2. & adplicatur v. 3-7. Utrumque vero jam paucis expendere iuvat. Ipsa huius rei imago sequenti ratione traditur.

- v. 1. λέγω δὲ, ἐφ' ὅσον χερόν ὁ κληρονόμος νηπιός ἐστίν, ἄδεν διαφέρει δὲ τῶν κύριος πάντων ἂν  
 v. 2. ἀλλὰ ὑπὸ ἐπιτροπῆς ἐστὶ καὶ οἰκονόμος ἄχρι τῆς προδεσμίας τῶν πατέρων.

## §. 10.

Utroque versiculo non nisi unicam propositionem, eamque compositam, contineri, manifestum est. Subjecto enim principali (*heres*) duplex adjicitur prædicatum, alterum negans (*non differt a servo*), affirmans alterum (*sed sub curatoribus & dispensatoribus est ad præfinitum tempus Patris*).

## §. II.

De notione κληρονόμος speciali dissident interpretes, alii filium, patre mortuo, tutorum curæ commissum, alii filium ex ephelis nondum egressum, vivo adhuc Parente, pædagogorum fidei concreditum intelligentes. Quoniam vero prior sententia variis premitur difficultatibus, ex Jure Rôma-

no ortis, in primis circa jus definiendi, quousque tutela extendi debeat, Patris arbitrio sine ulla limitatione hic relictum, non dissentente STRYKIO in pererudita Exere. de Jurisprudencia Pauli Apostoli §. 24; & posterior imaginem allatam, ob majorem characterum identitatem, fisis perfectiorem, cum Deus vivo, quam mortuo Patri, rectius assimiletur; prætereaque morem, quem hæc sententia supponit, apud Romanos & Græcos receptissimum fuisse, variis veterum testimoniis collectis, ad hunc locum probavit RAMBACHIVS pag. 208. 209: eidem etiam sententia album adjicere calculum nullus dubito. Neque alterum rationis a me adductæ momentum ex notione *heredis*, qui dominus fit bonorum *defuncti*, infringitur, quali hanc ob causam etiam in mea sententia claudicaret similitudo. Etenim hæreditas proprie quidem denotat complexum omnium rerum, ita ad nos pertinentium, ut post mortem eas in alterum transferre queamus. Quoniam vero hæreditaria bona, annotante FLACIO in Clavis Scripturæ Part. I. sub voce *Hæreditas*, Judæis longe gratiora & dulciora erant, studiosiusque retinebantur, quam a nobis fieri solet: quælibet possessio valde grata sine merito, sive fuerit bonum internum vel externum, sive corporale vel spirituale, synecdochice hæreditas dicta fuit Ezech. XLIV. 28. 1 Sam. XXVI. 19. Ps. CXXVII. 3. Ps. II. 8. 1 Pet. I. 4. Hinc cum hæres dicatur, qui Dominus fit hæreditatis: hæres etiam dici potest, qui jus habet rem alienam valde acceptam sine merito possidendi, adeo ut sic exulet notio *defuncti*, quæ similitudinis perfectioni obfata videbatur. Et hæc ratione considerandi sunt, qui in applicatione v. 3. facta, hæredi correspondent.

*Schol. 1.* Obiter hic tantum moneo, particulam  $\delta\epsilon$  ab initio vers. 1. occurrentem non *adversativam*, sed *continuativam* esse, idemque ac *porro*, *ceterum* significare. vid. STOCKII Interpr. Græc. Cap. VII. §. 271. n. 7. Vocabulum vero  $\lambda\acute{\epsilon}\gamma\omega$  additum est ad auctoritatem dicendis conciliandam. Sæpius enim verbum hoc in N. T. *sententiam ferre*, *judicium decisivum pronunciare*, significat, observante variisque exemplis comprobante Summe Vener. D. D. SIGISM. JAC. BAYMGARTEN in Incomparabili Comment. in Epistolam ad Romanos pag. 189.

*Schol. 2.* Ex Logica constat, subjectum datæ propositionis si fuerit idea complexa, subjectum, quod oritur, quando ex idea hac complexa formatur judicium, esse illius propositionis *subjectum principale*, & prædicatum, quod inde ortum trahit, ejusdem propositionis *subjectum minus principale* salutari. vid. Cel. DARJESII Log. Part. I. §. 145. Justam itaque mentis attentionem adhibenti facile patet, Subjecto principali, a me jam declarato, duplex adjectum esse subjectum minus principale, alterum  $\nu\eta\pi\iota\omicron\varsigma$ , alterum  $\kappa\upsilon\pi\iota\omicron\varsigma$   $\pi\alpha\upsilon\tau\omega\upsilon$   $\acute{\omega}\nu$ . Illud adeo evidens est, ut nulla probatione egeat. Hoc vero per indirectum constat. Si enim ceu prædicatum minus principale adsumatur; nexus, immo veritas verborum Apostolicorum tollitur. Neque locus impedit, cum sæpius ad subjectum referendum, quod ad prædicatum pertinere videtur. Potius itaque hanc determinationem subjecto adjecit Apostolus, objectionem, quæ hinc facile formari potuisset, præoccupaturus. Hinc etiam LUTHERVS & uterque SCHMIDIVS per particulam concessivam vertunt. Ordo igitur nunc postulat, ut utrumque hoc subjectum brevi sim expositurus.

## §. 12.

Vocabulum  $\nu\eta\pi\iota\omicron\varsigma$  descendit a  $\nu\eta$  &  $\epsilon\pi\omicron\varsigma$ , *verbum*, adeoque proprie denotat *infantulum*, qui nondum loqui potest. Synecdochice vero *minorem*, cujus vita moralis alterius directioni subest, ut alios nunc significatus taceam. vid. STOCKII Clav. Lingux S. Novi T. Alteram heic loci significationem



tionem valere, ex contextu est manifestissimum. Dicitur enim hæres non differre a servo &c. ἐφ' ὅσον χεῖρον, quousque fuerit *νήπιος*. Durat itaque hic status, usque dum ipsemet potuerit actiones suas dirigere, adeoque minorennis esse desierit.

## §. 13.

Alterum subjectum minus principale est *κείνος πάντων* (sc. *χερμαίων*) ὄν. Vocabula in se spectata satis manifesta sunt. In nexu vero considerata difficultatem aliquam pariunt. Qui hypothesein de hærede, patre mortuo, adoptarunt, facilius se hic expedire posse videntur. vid. STRYKII Diss. cit. §. XXV. Cum vero eam non meam fecerim: neque illius rationes pro mea sententia dilucidanda allegare queo. Sed potius ad notionem domini, utrumque loquendi confugio. Dominus enim dicitur, qui habet dominium. Hoc vero est jus de re aliqua pro arbitrio suo disponendi. Cum itaque jus sit moralis agendi facultas, & hæc iterum possibilitas quædam hypothetica, quæ varios admittit gradus: jus, adeoque dominium aliquod remotum facile concipere licet. Hinc etiam GROTIÛS De J. B. & P. Lib. II. Cap. III. §. VI. inter dominium, quoad *actum primum & secundum* consideratum, distinguit. Immo vero ipse Imperator JUSTINIANVS Inst. Lib. II. Tit. XIX. §. 2. docet, hæredes *suos* ideo appellari, quia domestici hæredes sunt, & vivo quoque patre, quodammodo *domini* existimantur.

## §. 14.

Quando hæres ἐδὲν διαφέρειν δέλεσ dicitur, hoc non absolute capiendum esse, ex præcedenti §. constat. Respectus vero, qui hic attendendi veniunt, ad tria capita revocari possunt. Pri-

13  
*mum* enim ejusmodi filius ad aliorum nutum actiones suas componere tenetur. *Secundo* non magis, quam servus, dominium in paterna bona exercere potest. Et *tertio* denique verberibus corrigendus est, si mitiori ratione se ad meliorem frugem reduci non patitur, quæ medicina servo etiam a Domino interdum propinanda est, utrumque suadente Syrach Cap. XXX. i. XXXIII. 24.

## §. 15.

Cum precedenti prædicato negativo per particulam adveffativam *ἀλλά* copulatur adfirmativum, quod duas determinationes continet. Primum enim exponitur conditio filii (*ὡπὸ ἐπιτροπῆς ἐστὶ καὶ οἰκονόμος*); deinde vero terminus ad quem indicatur (*ἄχρι τῆς προδεσμίας τῆ πατρὸς*). *ἐπίτροπος* vi vocis significat eum, cujus curæ aliquid est demandatum, ut alterius nomine illud obeat & administret. vid. STOCKII Clav. L. S. N. T. Cum vero *οἰκονόμος* proprie denotet eum, qui rei familiaris ac domesticæ curam agit, ab eoque hoc loco contradistinguat *ἐπίτροπος*: hic per synecdochen speciatim eum denotare videtur, cujus curæ vita filii moralis atque institutio concredita fuit. *ἐπίτροπος* itaque potius, quam utrumque vocabulum conjunctim sumtum, uti existimat ELSNERVS in Observ. S. T. II. p. 188, idem valet ac paedagogus, cujus officia idem Auctor ex veterum Scriptorum testimoniis recenset l. c. p. 185. 186. *προδεσμία* quidem constitutionem vel præfinitionem significat. Quoniam vero hæc ad tempus respicit: merito per tempus constitutum vel præfinitum vertitur, exemplis a profanis Scriptoribus petitis idem probante ELSNERO l. c. p. 188. 189. Cumque pater hic merito sapiens ponatur: alia ratio præfiniti temporis objectiva

ctiva cogitari nequit, quam ea apud filium intellectus perfectio, qua ipsemet actiones suas ad veritatum universalium normam componere valet.

*Schol. 1.* Sic explicatis evolutisque singularum vocum significatibus, integer sensus nemini obscurus esse potest. Eo igitur paraphrasi aliqua exponendo penitus superfedeo.

*Schol. 2.* Integra quidem similitudinis adductæ applicatio versiculo demum septimo terminatur: quoniam vero non omnia ad scopum meum tendunt; ea modo, quæ ad hunc propius spectant, delibare animus est.

v 3. Ὁὐτῶ καὶ ἡμεῖς, ὅτε ἡμεν νήπιοι, ὑπὸ τὰ στοιχεῖα τῆς κτίσεως ἡμεν δεδουλευμένοι.

v 4. Ὅτε δὲ ἦλθε τὸ πλήρωμα τῆς χάριτος, ἐξαπέστειλεν ὁ θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ. κ. τ. λ.

§. 16.

In adplicatione subjectum principale (*ἡμεῖς*) *heredi* respondet, cujus notio a me §. XI. est determinata. Intelliguntur vero membra Ecclesiæ tam Veteris, quam Novi Testamenti. Prius patet partim ex adjecto prædicato, inferius explicando, partim ex eo, quod ad Judæos, natione vel professione tales, epistolam hanc præprimis & immediate direxerit Apostolus. vid. IOH. BRAVNI Selecta Sacra pag. 71 sqq. Posterius ex *νοθεσία*, cujus mentio fit v. 5. coll. v. 25 & 26. Cap. præc. (in quorum primo loco per *πίστις* intelligitur *fides obiectiva*, sive doctrina evangelii de Christo in carne exhibitio, in altero vero *fides subjectiva*, sive fiducia in Christum jam crucifixum. cfr. STOCKII N. T.), nemini dubium esse potest. Utriusque vero Ecclesiæ membra communi vocabulo compellavit, ad unitatem ejusdem quoad essentialia denotandam,

notandam, quemadmodum secundum similitudinem Apostoli *filius maiorennis* idem est, qui *minorennis* antea fuit. Loquitur denique Apostolus in prima persona, quoniam utriusque Ecclesiæ membrum erat.

## §. 17.

Subjectum minus principale idem est, quod in similitudine occurrit. Quemadmodum itaque ibi minorennem denotat, qui ob maturitatem rationis, nondum obtentam, Curatorum directioni subest: ita quoque hoc loco eos significare debet, qui ob defectum virium intellectus legi cæremoniali erant subiecti, donec Christum ejusque beneficia sine umbris typisque clare satis sibi repræsentare possent, id quod ex commentatione mea ad versiculum sequentem distinctius constabit. Particula vero *ὄρα* cum vocabulis *ἐφ' ἑσεν χρόνον* in imagine Apostolica respondeat: eundem quoque habebit significatum. Conf. STOCKII Interpr. Gr. Cap. V. §. 186.

*Schol.* Fœcunditati Scripturæ S. tribuendum, quod alterum subjectum minus principale in applicatione sit omissum. Explicata enim determinationes similitudinis, rationem repræsentationis, quæ illi respondere debet, haud obscure in se continent. vid. Summe Vener. Dni D. BAUMGARTEN Hermen. S. Cap. I. §. 12. Scilicet filius sub curatoribus constitutus habet dominium remotum in omnia bona patris (§. 13.). Sic quoque membra Ecclesiæ Judaicæ ex gratuita de Christo venturo novoque testamento erigendo promissione jus aliquod remotum habebant ad omnia bona, quæ ibi distribuuntur. Quemadmodum vero minorennis fruitur bonis paternis, quæ ad ipsius felicitatem promovendam necessaria sunt, licet de iis nondum pro arbitrio disponere queat: ita quoque iis, qui sub Veteri Test. degerunt, ad omnia gratiæ bona, quæ sunt prærequisita salutis æternæ, aditus patebat; quanquam arbitrium ipsorum variis rationibus erat restrictum, & major gratiæ mensura pariter ac libertas a cæremoniarum

rum

rum iugo cum Novi Test. primordiis demum est concessa. Etenim V. T. erat fœdus gratiæ, adeoque omnia bona, quæ ejusmodi fœdere, qua tali, promittuntur, in illo locum habuerunt plane necessarium. Falsa itaque est Socinianorum opinio, præfricta fronte negantium, in Veteri Fœdere ullum vitæ æternæ promissum haberi, Christum vero primum ac solum tantæ rei fuisse præconem. Nigro etiam calculo haud immerito notatæ sunt variæ COCCII, & qui ejus vestigia in plurimis premit, BRAVNI in Doctrina Fœderum Vol. II. Part. IV. Cap. XIX, vel erroneæ, vel certe non apte satis expressæ sententiæ, de veris & permanentibus bonis ipsaque salute in V. T. re ipsa non patefactis, de inscriptione legis in corde & de circumcissione cordis negata, de justificatione fidelibus V. T. denegata, distinctione inter *παρεσν* & *ἀφεςν* conficta, de Spiritu adoptionis N. T. proprio, ut reliquas genuinæ V. T. indoli repugnantes opiniones nunc taceam, quas omnes pro more suo, h. e. erudite & modeste refutavit HERM. WITSIVS De Oeconomia Fœderum Dei cum Hominibus. L. IV. C. XII.

## §. 18.

Unicum in adplicatione occurrit prædicatum, quod tamen duplici, in similitudine adhibito, respondet. (§. 10.) Ad *negativum* enim participium (*δεδαλωμένοι*) respicit; ad *affirmativum* vero, excluso termino ad quem §. 15, reliqua verba (*ὕπὸ τὰ στοιχεῖα τῆ κόσμος ἡμεν*) referenda sunt. *Στοιχεῖα* proprie notant quatuor veterum elementa, judice SCAPULA in Lexico. Quoniam vero illa erant principia interna, unde *στοιχεῖα* prodeunt corpora: metaphorice adhibuit hoc vocabulum de primis artis cujuscunque rudimentis, sive de primis, facilioribus, tironumque captui accommodatis propositionibus. Hoc sensu occurrit EBR. V. 12. Eodem sensu etiam heic dicitur de Lege Cæremoniali, quæ Christum cum suis beneficiis sensibili ratione, eorumque captui accommodata, qui nondum intellectus beneficio sibi idem objectum distincte representare potuerunt, primis quasi lineis ductis adumbrabat. conf. STAR-

C

KII

κττ synopsis Bibl. Exeg. ad h. l. pag. 1638. pariter ac ad v. 9. pag. 1651. Hinc etiam in preced. Capitis v. 24. vocatur παιδαγωγός, quæ homines in Vet. Test. puerorum instar ad Christum duxit. Pueri enim nondum eas contraxerunt intellectus vires, ut sine facultatis cognoscitivæ inferioris ope, per sensibilia facta, intelligibilia recte percipere queant. Eandem ob causam quoque lex (cæremonialis), eleganti metaphora a re pictoria desumpta, ubi primum obscuris coloribus rudis delineatur imago, quæ postea ulterius perficitur, *umbram* (rudem delineationem) *futurorum bonorum, non vero ipsam imaginem rerum* (distinctam Evangelii cognitionem) *habere* dicitur HEBR. X. 1. conf. Coll. II. 16. 17. Ex eadem ratione intelligitur, cur *velamen* super lectione Veteris Test. maneat, in Christo demum tollendum, 2 Cor. III. 14. 15. 16. cur Christus *melioris Testamenti mediator* salutetur. HEBR. VIII. 6. & cur denique Epistola ad Hebræos clavem veteris Test. continere merito dicatur. Additur vocabulum τὸ νόμισμα, iudice HERM. WISTIO de Oeconomia Fœderum Dei cum hominibus Lib. IV. Cap. XIII. §. X. vel quia elementa, quæ lex cæremonialis complectebatur, erant terrestria, e mundo visibili petita, qualia erant cibi, sacrificia, lotiones &c. *vel quia Deus, ut ipsius Auctoris verbis utar, mundum i. e. mundi incolas erudire volens, a tenuibus illis principiis exorsus est, inferiori primum Schola in uno duntaxat mundi veluti angulo aperta.* Harum rationum priorem suo calculo comprobatur Cel. CARPOVIVS in Theol. Rev. Dogm. Tom. III. §. 444. Schol. I. p. 549. Alio etiam sensu interdum accipienda esse σοφεία τὸ νόμισμα erudite probat HENR. HAMMONDVS ad Col. II. 8; comprobante JO. FR. BYDDEO in Eccl. Apost. Cap. V. §. 3. pag. 351. sq. Legem vero cæremonialem hoc loco intelligendam esse, evidenter patet partim

ex

ex nexu, cum hic de membris Veteris Test. sermo fit, partim ex adjecta determinatione (*δεδολωμένοι*), quæ prædicato negativo in similitudine Apostolica respondet. Per legem ceremonialem *in servitum redacti erant* homines. Servitus enim & libertas sibi invicem opponuntur, cum homo liber ex arbitrio proprio actiones suas suscipiat, servus vero ex alieno agere debeat. Jam vero moraliter impossibile dicitur, quicquid legi repugnat. Quoniam itaque hæc efficit, ut is, quem obligat, non possit eligere, quicquid ipsi maxime placuerit: sequitur omnino, ut lex libertatem restringat. Restricta vero libertate, adest servitus. Cujus gradus cum multitudinem ac rigorem legum determinetur: haud levis sane ex lege ceremoniali oriebatur servitus, partim ob immensam fere rituum multitudinem, partim ob poenarum gravitatem, quibus transgressores adfligebantur. Deut. XXVII. 25. nec non Ex XXXII. 27. 28. Lev. X. 2. 1 Sam. VI. 19. 2 Sam. VI. 6. 7. 2 Chron. XXVI. 16. &c. Con-ferri hic meretur WIRSIUS l. c. §. XI. sqq. Hinc etiam Apostolus Rom. VIII. 15. haud obscure innuit, sub veteri fœdere datum fuisse *spiritum servitutis* ad timorem, quatenus summa cum animi sollicitudine omnis transgressio fugienda, sin autem vel minima fuisset commissa, poenæ severitas timenda, adeoque præscripta remedia expiatoria anxie adhibenda. Neque sententiæ nostræ contrariatur WIRSIUS l. c. §. XVII. sqq. qui per spiritum servitutis ipsum Spiritum Sanctum intelligit, quatenus operationibus suis id efficiebat, ut servitutem hanc fideles lubenter & in fide subirent. Etenim fidelium animus, qui sapius in f. Codice *πνεῦμα* dicitur, vid. STOCKII Clav. L. S. N. T., a Spiritu S. operatione pendens, & ipse Spiritus S., tamquam causa illius effectus, duo sensus fundunt subordinatos, qui simul locum habere possunt. Ne vero quis

mentem Auctoris ad errorem Coccejanum, quasi nullus plane Spiritus libertatis in V. T. locum habuisset, temere pertraheret, sequentibus verbis sententiam suam ulterioris dilucidationis gratia complexus est §. XXI. *Hoc tantum volumus: operationes spiritus Dei in T. V. collatas cum ejusdem Spiritus operationibus in T. N. communiter magis seruire quid sapere, quam quod plenæ libertati filiorum Dei conueniens sit: breuiter, accommodatas fuisse isti conditioni, qua heres infans non multum distabat a seruo.*

## §. 19.

Ex collatione, inter similitudinem Apostolicam ejusque adplicationem rite instituta, haud obscure patet, tempori ibi a Patre præfinito hic respondere *plenitudinem temporis*. Quemadmodum itaque pater illud præfinit tempus, quo filium, maturitatem rationis adsecutum, ipsummet actiones suas dirigere posse, nec curatore aliquo indigere prælagit (§. 15.): ita quoque plenitudo temporis eam significare debet relationem natiuitatis Christi ad successiva hujus mundi (§. 2.), qua membra veteris Test. eas tandem intellectus vires adsecuta sunt, ut distincte Oeconomiam salutis sibi repræsentare potuerint, nec pædagogia legis cæremonialis per typicas adumbrationes ulterius habuerint opus. Pater quidem, in hoc negotio prælagiens, facile errare potest. Hinc etiam leges diversarum rerum publicarum civiles de hoc argumento quam maxime discrepant, aliæ breuius, aliæ diuturnius tempus determinantes. At cælestis Pater, qui omnia possibilis sibi distinctissime repræsentat, alucinari non potest. Dubitari itaque nequit, hanc temporis plenitudinem adeo accurate, ac in nexu fieri potuit, ab æterno decretam & deinde executioni datam esse.

Schol. 1.



*Schol. 1.* Studio determinationem adjeci: *Adco accurate ac in nexu fieri potuit.* Etenim plures fuerunt rationes obiectivæ, cur nativitas Christi eo potius, quam alio tempore contigerit (§. 6. Schol. 1. & 2. §. 9. Schol. 1. & 3.) Propositio vero enuncians determinationem rationi conformem, dicitur *regula*. Plures itaque sunt regulæ, secundum quas explicanda est nativitas Christi. Hinc possibilis est earum *collisio*, quæ orta, fieri debet *exceptio*. Hæc vero ita institueda est, ut summa in toto obtineatur perfectio (per Met.). Ut universaliter dicta ex singularibus claritatem nanciscantur, adplicationem ad rationes, in antecedentibus adductas, faciam. Forte aliquot lustra ante, quam natus est Christus, satis virium facultatis cognoscitivæ superioris habuit genus humanum ad Oeconomiam Novi Test. recte percipientiam. Sed possibile est, ut vel status imperii Romani religioni Christianæ propagandæ eo tempore non satis fuerit aptus (§. 6. Schol. 1.), vel versio septuaginta Interpretum non satis divulgata (Schol. 2), vel erronea de regno Messæ mundano sententia non satis radicata (§. 9. Schol. 1.), vel denique græcæ linguæ cognitio nondum sufficienter dispersa (Schol. 3). Hinc forte exceptio facta a prima regula, ut eo major in tota salutis Oeconomia, imino etiam in futura vita, adeoque in toto mundo quoad omne futurum spatium, & tempus obtineretur perfectio. (Nihil enim est sine rationato, & ex diversis rationibus diversa quoque propullulant rationata). Qui determinati quid hic cum certitudine adserere auderet, is longe majorem sane nexus mundani perspicientiam sibi arrogaret, quam quæ in hominem, forte in ens finitum, cadere possit.

*Schol. 2.* Quamvis ex interpretatione data sensum Apostoli sua luce radiare existimem: negari tamen non potest, quin robor haud leve sententiæ meæ accedat, si evicero, Deum ob similem causam post œconomiam salutis, quæ tempore Patriarcharum viguit, Vetus Testamentum deum sanxisse. Notatu dignissima sunt verba Ill. WOLFII in Psychol. Ration. §. 230. Schol. *natura*, inquantis, *non admittit varietatem nisi in identitate, nec temere dissentit a se ipsa.* Quod enim de natura in *regno naturæ* Vir hic Incomparabilis adfirmavit, id de Naturæ Auctore in *regno gratiæ* ob identitatem rationis adserere nullus dubito. Candidisse vero Deum Vetus Test. eo potius, quam

quam alio tempore, ob rationem ei plane similem, cui Nov. Fest. ad mentem Apostoli suam debet originem, ex oraculo, quod EZECH. XVI. 7. 8. occurrit, me evicturum spero.

## §. 20.

Per totum fere caput citatum Propheta Judæis, in Patria, & in primis quidem Hierosolymæ, quæ caput regni & ecclesiæ sedes erat, relictis, animum in Deum quam maxime ingratum, severa non minus quam elegantè ratione exprobrat. Quoniam vero gradus animi ingrati beneficiorum acceptorum magnitudine determinantur, quemadmodum horum gradus etiam ex miseria status, unde quis fuerit ereptus, æstimandi sunt: sub figura puellæ expositæ, miseræ, fœdæ, tandemque desponsatæ, purgatæ, variisque rationibus exornatæ, primum statum Judæorum in servitute Ægyptiaca miserrimum emphatice describit, deinde vero varia in ipsos a Deo collata beneficia recenset usque ad v. 14. Scilicet ad v. 6. Miseriam illorum, ex quo a vero Dei cultu defecerant, gentilium idololatria & superstitione contaminati, sacer Vates allegoria, piis affectibus excitandis aptissima, graphice depingit, addito proposito Divino de ipsis a peccatorum sordibus, quibus erant conspurcati immerisque, liberandis. Neque minus splendidis coloribus beneficia divina ante fœdus in initum v. 7. in ipso fœdere pangendo v. 8. & denique post fœdus sancitum a v. 9. ad v. 14. conspicienda præbet. Beneficia ante fœdus sequentibus verbis ex versione SCHMIDTI commemorantur: *Quoad augmentum (vel in myriadem, h. e. in multa millia auxi te, vertente Summe Rev. Dom. D. MICHAELIS) sicut germen agri dedi te, unde crevisti & adolevisti; venisti que in decora decorum: ubera solidata sunt, & crinis tuus crevit; eras tamen nuda & nudata.* Deinde ipsum fœdus sequenti ratione exponitur: *Quum ergo præter-*

*præterivi præter te, & vidi te, quod ecce tempus tuum (esset) tempus amorum, expandi alam meam super te, & operui nuditatem tuam; quin iuravi tibi, & ini i fœdus tecum, dictum ADONAI JEHOVIH, ut effès mibi (in uxorem).* Ad tenerri-  
 mum suum erga gentem Judæam amorem testandum, fœdus finaiticum, cum illa conditum, sub imagine fœderis nuptialis hic exhibet Pater Benignissimus. Tempus etiam, quo fœdus hoc initum fuit, ita determinatur: cum tempus populi Israelitici esset tempus amorum. Rationes vero objectivæ hujus nobilis status tres in præcedenti vers. adferuntur: incrementum populi in numerosam multitudinem, quod, si textus hebræi accentuumque ratio habetur, primum summam, deinde vero quoad causam & effectum describitur; ornamenta insignia ex bonis corporalibus orta, quemadmodum ad genium linguæ hebrææ canticum canticorum, sanctum sanctorum, rex regum, dominus dominantium significant in suo genere præstantissimum; & status denique pubertatis, qui per ubera *solidata* (decentem formam nacta, sive apta, cum palmaria radice) כִּי significatio sit aptare, formare *crinemque* auctum (pubem, honesta phrasi) indicatur. Tertiam rationem a prioribus plane diversam esse, testatur inter alia accentus distinctivus intra versum maximus, (') qui alioquin sub voce חַרְצֵי fuisset collocandus. Quoniam autem pubertatis status est potissima ratio, cur puella viro nubere queat: heic quoque potissimum illud in populo Judaico intelligendum est, cur propius cum Deo per fœdus initum uniri potuerit. Jam vero nihil magis necessarium erat, quam ex facultatis cognoscitivæ vires, quarum beneficio *primum* per plurimas leges recte percipere potuerunt, varias caremonias, certo tempori, loco, aliisque circumstantiis adstrictas, observaturi; *secundo* perfectiones  
 Divi-

13
 Divinas eo claritatis gradu sibi repræsentare vpluerunt, quo  
 sufficientia ipsis præbuerunt motiva ad actiones suas legibus  
 præscriptis conformandas; *tertio* ex typis ampliori vividiori-  
 que antityporum cognitioni hauriendæ haud impares fuerunt.  
 conf. es. XXIX. 12. & *quarto* denique motiva actionum suscipien-  
 darum vel omittendarum ex fide in venturum Messiam capere  
 potuerunt. JAC. II. 17. 18. conf. ACT. XV. II. Patet itaque, per  
 pubertatis statum hic allegorice eam significari facultatis cogno-  
 scitivæ perfectionem, quæ ad vetus Testamentum cum Israë-  
 litis pangendum requirebatur. Eodem jure colligo, alteram  
 rationem a prima differre, quoniam ab hac per accentum di-  
 stinctivum majorem (:) est separata. Quoniam vero ornamenta  
 terrestria hic modo intelliguntur, id quod ex fine hujus versi-  
 culi haud difficili negotio constat: crediderim, nihil hic re-  
 ctius excogitari posse, quam divitias, partim in fertilissima  
 regione Gosen, partim ex rebus Ægyptiorum pretiosis, circa  
 exitum liberaliter commodatis, a Judæis contractas. Fuisse  
 autem hæc tria ad Vetus Testamentum condendum penitus  
 necessaria, juxta mentis lance idem ponderanti obscurum esse  
 nequit. Numerosa enim Judæorum multitudo adesse debuit,  
 ut propriam & a reliquis gentilibus separatam rempublicam  
 constituturi, terram patribus suis promissam, ejectis impiis incol-  
 lis, sine continuis miraculis non modo occupare, sed etiam  
 contra circumjacentes populos, virium robore fortitu-  
 dinisque gloria florentissimos, sese deinde tutari ac defendere  
 possent. Neque minori necessitate requirebantur haud me-  
 diocres opes tam ad cultum leviticum instituendum ex XVIII.  
XX
 24. sqq. quam etiam ad eundem conservandum ob creberrima  
 varii generis sacrificia, festa sollempniter celebranda, aliasque  
 per plurimas impensas, quarum catalogus satis prolixus ex An-  
 tiquitatum

tiquitatum Judaicarum Scriptoribus confici potest. Tertium denique requisitum facile princeps fuisse, ex superioribus constat. Hæc tria itaque simul sumpta determinant *tempus amorum*, quo Deus cum populo Judaico fœdus inire voluit, adeoque præcedens versus ad mentem Prophetæ rationem sequentis sufficientem evidenter continet.

*Schol. 1.* Moralem, quam adsumsi, genesin versu 3. intelligendam esse, patet ex morali miseria, quæ deinde describitur. Neque insolens est, in sacro codice eum appellari patrem, cujus mores quis imitatur. IOH. VIII. 44. MATTH. III. 7. XXIII. 33. vid. Summe Rey. D. MICHAELIS annotationes ad hunc locum.

*Schol. 2.* Per *decora decorum* laudatus MICHAELIS intelligit summam corporis elegantiam, quod de puella, tanquam imagine, recte sese habere potest. Quando vero integer populus, ceteri corpus, aliquid morale spectatur, elegantia opibus major non facile ipsi tribui potest. De ornamentis enim ex constitutione cultus Divini per varios ritus nondum loquitur Prophetæ, quo intuitu populus ad finem versus dicitur *nudus & nudatus*, sive *nuditas*, h. e. valde nudus. cfr. v. 39. hujus Capituli.

*Schol. 3.* Expressis quidem verbis non commemoratur fœdus aliquod nuptiale; ex *expansione* tamen *ale* merito concluditur, qui ritus in nuptiis Hebræorum celebrandis adhiberi suevit. RVTH III. 9. cfr. Joh. Jacob Schmidts *biblischer Historicus*. p. 396.

*Schol. 4.* Quod in Schol. 1. ad §. 19. de variis rationibus Objectivis, *tempus plenitudinis* determinantibus, monui, id etiam hic de tempore conditi Veteris Testamenti observandum est. Hinc quoque *tempus amorum* cum eadem restrictione est intelligendum.

## §. 21.

Ex iis, quæ hæcenus allata sunt, sponte sua patet, tres diversas statui posse Ecclesiæ veræ Evangelicæ ætates pro diverso robore virium facultatis cognoscitivæ in toto genere

D

humano,

humano, & pro palmariis mutationibus accidentalibus, quas subiit Oeconomia salutis Evangelica, quoad essentialia semper eadem. Act. IV. 12. *Infantia*, quam, si tibi ita placuerit, adeo late sumere potes, ut suo ambitu etiam *pueritiam* complectatur, incipit a data protoplastis promissione de semine mulieris, contrituro caput serpentis, & terminatur foedere Sinaitico, cum Israëlitis sancito. conf. EZECH. XVI. 60. *Adolescentia* hinc sese extendit ad mortem Christi sub Veteri Testamento. *Virilis* denique *ætas* cum Novo Testamento eadem cepit initia. In prima ætate major hominibus relicta erat libertas, quemadmodum hæc etiam infantulis puerulisque concedi solet. Forma cultus externi erat simplicissima, quippe qui ad sanctificationem sabbathi atque sacrificia, certo alicui loco vel tempori non adstricta, haud incommode reduci posse videtur, donec tandem Circumcisio Abrahamo fuerit inuncta. In protevangelio nucleus doctrinæ de Christo continebatur, quemadmodum egregie ostenderunt HERM. WITSIVS in Oeconomia Foederum Lib. IV. Cap. I. §. VII. sqq. JOH. JAC. RAMBACHIVS in Hist. Eccl. P. I. pag. 83. sqq. & qui instar omnium hic allegari meretur Cel. JAC. CARPOVIVS in Th. Rev. Dogm. T. III. §. 317. sqq. Huic protevangelio, tanto rectius percipiendo, suppeditata mortis idea, mox adjecta videntur sacrificia, tamquam conciones visibiles de Christo, pro peccatis omnium hominum tandem morituro. Unde etiam viri eruditissimi haud immerito suspicantur, pelles, ex quibus vestes protoplastis sunt confecta, victimis, cœu typis futuri Messix detractas esse. vid. RAMBACH. l. c. p. 89. & 120. nec non CARPOV. l. c. §. 353. Schol. I. Neque dubitandum est, Deum per frequentes apparitiones, quæ Patriarchis aliisque contigerunt, per facta notatu digniora, immo vero paradoxa, aliasque rationes sensim atque pedetentim vel auxisse

auxisse, vel confirmasse eorum cognitionem de mediatore, de satisfactione ejus activa & passiva, de fide in illum collocanda, de studio bonorum operum, de pugna spiritali contra malum, aliisque non minoris momenti veritatibus in protevangelio obscurius delineatis. Haud infrequentes fuisse apparitiones, Patriarchis factas, non modo ex evidentibus exemplis constat, sed etiam interdum subobscurius in Sacro Codice indicari videtur. Ut unicum modo specimen adferam ex GEN. IV. 16. ubi Cainus exiisse dicitur מלפני יהוה, non improbabilis est sententia RAMBACHII l. c. pag. 133. existimantis, regionem intelligi, ubi verus Dei cultus floruit, & Deus variis revelationibus, speciatim vero colloquii, cum hominibus institutis, quæ revelandi ratio isti temporis periodo familiaris erat, sese manifestavit, in primis si conferatur JON. I. 3. ubi eandem phrasin dicto sensu iumentam esse, multo est evidentius. vid. MICHAËLIS Annot. ad h. l., ut jam taceam GENES. V. 22. Uberiori cognitioni, de Protevangelio hausta, ad posteros fideliter propaganda inter alia mirifice inserviit vita Patriarcharum longæva. Hinc enim factum est, ut SEMVS, qui ante diluvium cum METHVSALEM, quemadmodum hic cum ADAMO per plurimos annos vixit, ABRAHAMO, post cujus nativitatem 150. annos superstes fuit, omnia notatu digniora enarrare potuerit, quæ a condito mundo ad ipsius usque tempora contigerant, adeoque ampliorem suppeditare Protevangeliæ cognitionem. Nihilominus tamen etiam in familia Patriarcharum incrementa ceperat superstitione idololatrica JOS. XXIV. 2. 14. 15. Immo vero ipse Abrahamus exiguam tenuemque œconomix salutis cognitionem non una ratione prodidit. Etenim variis jam apparitionibus Divinis fruitus, promissa Divina de posteris insigniter multiplicandis, & terra Cananæ ab ipsis possidenda, fide quidem complectebatur.

plectebatur, at infirmiori, quam si penitus de Veritate, Pötentia aliisque attributis Divinis fuisset convictus. Hinc etiam signum petiit ad fidem suam corroborandam. Deus vero mira *συντάξι*σιν promissionem suam caremoniis, eo tempore confectis, stabilivit. GEN. XV. 8. 19. 10. Immo vero post per plurimas apparitiones iteratasque promissiones, dissimulata per responsonem æquivocam uxore sua semel antea in Ægypto, & Sara jam gravida, protectioni Divinæ, cujus luculentissima sapius expertus erat documenta, quasi diffusus, peccatum hoc iterum in Gerar commisit. GEN. XX. 2. Quamvis autem cognitio salutaris in hac temporis periodo extensive pariter ac intensive minor fuerit: vera tamen in Messiam fides non minus locum habere potuit, quam in sequentibus, majori luce collustratis, ob leviores, quos corrupta minusque exulta ratio suggerere potuit, scrupulos, ad sensum retinentes, & ob minores paucioresque illebras appetitum seducentes. Crescentibus tractu temporis utriusque generis impedimentis, veram fidem sufflamantibus, amplior protevangelii notitia non modo ad finem Divinum obtinendum necessaria erat, sed huic recipiendæ etiam apti erant homines (§. 20.). Quoniã vero sensibilem opera ad intelligibilia recte percipienda, vel certe ad justam attentionem in ea dirigendam, nondum carere poterant (§. 19.): eodem artificio ad imbecillitatem ipsorum sublevandam usus est Deus Optimus atque Sapientissimus, quod historiæ biblicæ per imagines, typis excultas, infantulis exhiberi solent, quodque adhibent Mathematici, quantitatum in universali determinandarum rationes per figuras aliaque sensibilia representantes. Hinc omnis quoque plenissimum, prout talia exempla in sacro Codice sunt frequentissima, est nomen illud *חֶלֶב*, quod gessit Artificum Princeps, tabernaculum cum



cum vasis sacris conficientium, quodque simplicius, adeoque  
 rectius veritur: *in umbra Deus*, quam cum Cel. SIMONE in  
 Onomastico Veteris Testamenti pag. 495. *in umbra i. e. pro-*  
*tectione Dei.* Negari quidem non potest, Deum etiam per  
 latam legem caremonialem Idololatriam, ad quam populus  
 Judaicus erat pronissimus, impedire voluisse LEV. XVIII. 3. 4.  
 XX. 22. sqq. conf. GAL. III. 24: finem tamen, quem adduxi,  
 fuisse primarium, accurate docet Cel. CARPOVIVS in Theol.  
 Rev. Dogm. Tom. III. §. 503. eumque per integrum CAP. III.  
 Part. II passimque alibi quoad singula capita egregie explicat.  
 Qui vero uberiolem antityporum cognitionem desiderat,  
 LVNDIVM, WITSIVM, BRAVNIVM, LANGIVM, GOODVI-  
 NYM cum notis REITZII, aliosque consulere potest. Cum  
 hoc satis gravi legum caremonialium jugo incipit Ecclesie quasi  
*adolescencia*, quemadmodum infantes in majori atate seve-  
 riori disciplina committi solent. Quamvis vero & extensive  
 & intensive hac ratione aucta fuerit salutis cognitio: pluri-  
 mum tamen obscuritatis remansit. Quoniam enim typus  
 est ens, quod propter similitudinem cum altero idem  
 representat, & totalem similitudinem exulare notissimum  
 est: fieri non potest, quin plus sit in typo, quam in  
 antitypo, & vice versa. Hinc, antitypo nondum presente,  
 quanam ad similitudinem, quanam vero ad dissimilitu-  
 dinem utriusque referenda sint, non satis apparet. vid.  
 CARPOV. l. c. §. 243. sqq. addeque, si placet egre-  
 gias ipsius meditationes, in §. 700. & quidem in primis in  
 Scholio subnexo occurrentes. Variis autem rationibus homi-  
 nes in hac temporis periodo ad majorem lucem ferendam præ-  
 parabantur. Parentes obligati erant ad legem liberis incul-  
 candam. EX. XII. 26. 27. XIII. 8. 14. DEVT. IV. 9. VI. 4. Sacer-  
 dotes

dotes & Levitæ per totum populum in 48. urbibus distributi erant, ut cultum Divinum eo rectius propagarent. MAL. II. 7. HAGG. II. 12. DEVT. XXXIII. 8. IO. 2 CHRON. XXXV. 3. Et quemadmodum Simeonitis ideum cum Levitis fatum ob simile Parentum delictum a JACOBO erat prædictum GEN. XLIX. 7. ita quoque Rabbinis, teste RAMBACHIO in Hist. Eccl. pag. 456. observarunt, plurimos ex hac tribu, propter angustam hæreditatem ipsi tributam, per totam gentem Judæam fuisse ludimagistros. Conciones, scripta & miracula Prophetarum magis magisque characteres Messiaæ determinantium (vid. Cel. CARPOVII Theol. Rev. Dogm. T. III. P. II. Cap. V.), veram Dei cognitionem mirum quantum auxerunt, corroborarunt. Ex iis vero Samuel Scholas Propheticas, ubi juvenes in cognitione rerum Divinarum & musica sacra erudiebantur, variis locis non modo instituisse, sed supremam quoque earum directionem gessisse creditur. 1. SAM. X. 5. XIX. 20. conf. 2. Reg. II. 3. 5. IV. 1. Deinde successu temporis adeo aucta sunt litterarum seminaria, ut Hierosolymæ, teste STARKIO ad ACT. VI. 9. quadringenta & octoginta numerarentur. Cultui Divino promovendo etiam haud leviter inserviebant *Synagoga*, sive ædificia sacra, precibus fundendis, verboque Divino prælegendi & explicando destinata, quarum origo rectius ante, quam post Captivitatem Babylonicam adseritur. vid. PRITHI Intr. in Lect. N. T. C. XLVI. RAMBACHII Hist. Eccl. P. II. pag. 321. sqq. & 882. sqq. VITRINGÆ eruditissimum Comment. de Synagoga Vetere, unde etiam constat, cultum, ibi peractum, propius ad indolem Novi Testamenti accessisse. Variæ denique apud Judæos ortæ Sectæ rationi excolendæ haud levem ansam dederunt, dum singularum adsectæ sua dogmata contra reliquos tueri, variis excogitatis rationibus, connisi sunt. vid. JOANNIS CLERICI Prol. Hist.

Hist. Eccl. Sect. I. & PRITII Introd. in Lectionem N. T. Cap. XXXV. §. 2. Sic præparatis Judæis, gentiliumque animis aptatis, partim per femina religionis Judaicæ longe lateque dispersa §. 6. Schol. 2, partim per litterarum abstractiorum studia, ante Christi adventum per integra sæcula diligentius exculta, unde non tantum rationis vires adoleverunt, sed etiam variæ veritates ad Theologiam naturalem pariter ac Philosophiam moralem pertinentes sunt erutz, id quod CLERICVS l. c. Sect. II. *De Ethnicorum statu, ad religionem quod attinet*, per singulas, quæ Christi tempore floruerunt, sectas eundo, erudite ostendit, in primis vero PLATO, ceu alter Prometheus, iudice CLEMENTE ALEXANDRINO in Strom. Lib. I. igniculis aliquot, ex sacris pandectis surreptis, Philosophiam suam inspererat: Sic, inquam, Judæis Paganisque, ex quibus, pariete intergerino sublato, Ecclesia Novi Testamenti constaret, rite præparatis, adfuit *Tertia* illius *Ætas*, quæ priores duas cognitionis amplitudine ac splendore multis parasangis superavit. Hinc PETRVS II. EPIST. I. 19. verbum propheticum, i. e. scripturam V. Testamenti cum lucerna, h. e. parvo lumine, tempus vero Novi Testamenti cum pleno die comparat, & propter disparitatem utriusque Testamenti promittit Deus, se creaturum novos cælos novamque terram ES. LXV. 17. Existimo tamen JACOBVM SAVRIN velerrasse, vel certe mentem suam non satis accurate expressisse, dum iudicat, Zachæum, Apostolos, Prophetas, Davidem, illuminationis gradu Christianorum rudissimo inferiores fuisse, LVC. VII. 28., de cognitionis gradu interpretatus, qui tamen locus de majori fiducia ob promissionem Sacrorum Tom. I. Sermonum III. p. m. 108. Potius vero meam facio WITSII sententiam in Oeconomia Fœderum Dei cum

cum hominibus Lib. IV. Cap. XIII. qui, parciore gratiæ men-  
fura inter defectus V. T. adducta, §§. XXII. XXIII. §. XXIV.  
addit: *Quæ tamen nequaquam eo a nobis dicuntur, quasi gre-  
garios N. T. fideles præcis illis heroibus vel anteferre, vel etiam  
æquare sustineamus.* Quorum enim quisque in Ecclesia Chri-  
stiana reperitur, qui fidei præstantia cum Abrahamo componen-  
dus? cognitionis luce cum Prophetis, qui hodieque orbem un-  
versum illuminant? consolarionum ubertate & sanctimonia excel-  
lentia cum Davide, qui & vir secundum cor Dei fuit, & toties  
animo in Deo exultante letissimas odas cecinit? Non enim,  
quid in paucos gratiæ contulerit Dominus, hic quaeritur: sed  
quam in univ. so. populo ordinariam dispensationem secutus sit.  
Ecclesiam cum Ecclesia, Prophetas cum Apostolis, præcos Heroas  
cum Novi Fœderis Martyribus, & gregarios fideles cum sui-  
similibus contendere par est.

Schol. 1. In præcedente historia diversarum Ecclesie ætatum  
pragmatica, quam radii penicillo adumbrare conatus sum, tres adsumsi  
periodos, præcunte Scriptura Sacra, & iubente ipsius rei indole,  
quamvis non ignorem, eas in controversiis Coccejanis a multis non  
fuisse probatas, vid. Summe Rever. D. WALCHII Introductionis Histo-  
rico-Theologicæ in Controv. Religionis Tom. I. C. IV. §. 7. p. m.  
462. & Tom. III. Cap. IV. §. 31. p. m. 756. sqq. Neque limitibus  
iusto artioribus, sed plane secundum usum biblicum a me determina-  
tum esse Vet. Testamentum, cuius facile patet ex DEUTER. V. 2. 3.  
JEREM. XXXI. 31. 32. GAL. IV. 24. Quæ vero pro contraria sententia  
defendenda argumenta adducit WITTSIVS in Oeconomia Fœderum Dei  
cum hominibus Lib. III. Cap. III. §. 5. seqq. ea accurate refutavit Cel.  
CARPOV. Theol. Rev. Dogm. Tom. III. & quidem in Diss. Prolusoria  
De genuina Notione Test. Veteris, ubi quoque §. 26. duabus rationibus  
evicit, mortem Christi esse finem Veteris, simulque initium N. Testa-  
menti, cuius inditum erat scissis velaminibus in templo MATH. XXVII. 51.  
aditum ad Christum, sine imagine noscendum, jam apertum esse, signi-  
ficans, ut verbis laudati Auctoris utar ad finem §. 28.

Schol. 2.

*Schol. 2.* Quamvis diversos Ecclesiae status per aetates, ad vitam humanam respicientes, significaverit Sacer Codex: specialis tamen nominum inpositio haud parum difficultatis parit. Secundum Prophetam enim dicerentur: *Infantia, Adolescentia & Virilis Aetas.* At secundum ductum Apostoli: *Infantia, Pueritia & Adolescentia.* Quoniam autem diversi tantum aetatis crescentis gradus indicantur: perinde esse potest, quaecunque denominandi ratio eligatur. Qui vero hinc contradictionem aliquam somniaret, is manifesto indicio proderet, se similitudinum indolem profunde ignorare, & eodem plane jure quereretur, puellam Prophetae in puerum ab Apostolo mira metamorphosi esse transmutatam.

*Schol. 3.* In utraque imperfectiori aetate varios Oeconomiae gradus concipere licet. Quemadmodum enim per frequentes apparitiones, Patriarchis tam antediluvianis, quam postdiluvianis, factas, Deus ampliolem clarioremque veritatum salutarium cognitionem suppeditasse merito est censendus; ita quoque idem in foedere, cum Abrahamo sancito, & per circumcisionem confirmato, est manifestissimum. GEN. XV. 17. Etenim circumcisio non modo promissionis Divinae de terra Canaan possidenda signum erat; sed etiam intuitu adulatorum necessitatem circumcisionis spiritualis significabat DEUT. X. 16. XXX. 6. prouti ratione infantulorum externum gratiae remedium erat, quo Deus fidem in mentibus ipsorum operatus est, quippe qui hoc pacto in foedus cum Deo Abrahamicum, etiam spiritualia bona complexum GENES. XVII. 8, recepti sunt. Difficilior, quam utilior est quaestio: an gentes aliae orientales, in primis Aegyptii & Aethiopes, ante tempora Abrahami ob rationes phyficas praeputium amputarint. Apud omnes enim in confesso est, circumcisionem, quatenus signum foederis cum Deo erat, antea non existisse. Tamquam signum vero adhiberi potuit, etiam si alioquin in usu fuisset, quemadmodum iris constituta est signum mundi, per aquas non amplius perituri, quamvis ante diluvium etiam apparuerit. Pari ratione quoque gradus Oeconomiae salutis sub Vet. Testamento fuerunt. In primis vero circa tempora captivitatis Babylonicae per insigne Prophetarum multitudinem, a Deo missorum, partim ad castigandos improbos, partim ad corroborandos pios, ne ipem promissionum Divinarum, de Messia implendarum, abjicerent,

E  
haud

/ XVII

hand leviter auctus est complexus veritatum, salutis negotiis concernentium, praesertim quoad characteres Mediatoris indolemque Novi Testamenti.

*Schol. 4.* Licet exiguam modo Patriarchis tribuerim notitiam: explicitam tamen Christi ejusque meriti cognitionem ipsis denegare minime animus fuit. Etenim a FRANCISCI PUCCHII, Florentini, sententia maxime sum alienus, ad universalem sufficientemque gratiam tuendam, statuentis, homines etiam adultos per fidem implicitam salvari posse. Ipsum librum recenset Summe Rev. D. D. SCHVERTVS in Introductione ad Theolog. Revel. §. 207. Schol. modumque ostendit, quæ heic sese offert, difficultatem tollendi, in Institutionibus Theol. Dogmaticæ Part. V. Cap. II. §. 448. & in peculiari Programme de *Vocatione per lumen naturæ & gratiæ*, quod tamen mihi nondum videre contigit. Conferri meretur Summe Vener. D. PRÆSIDIS mei erudita Disputatio *De Gentilium ad gratiam accessu in Vet. Testamento ad PSAL. XCVIII. 2.* nec non IPSIVS præsidio munita admodum Rev. D. D. BRUNNEMANNI Dissertatio Inauguralis *de Vocationis Universalis ad salutem sufficientiæ contra Du. Antonium Gottfried Dreis.*

*Schol. 5.* Dum infirmam Abrahami fidem judicavi, frustra mihi objicitur amplissimum Apostoli elogium ROM. IV. 17-21. Ego enim locutus sum de Abrahamo, antequam Hagar uxorem duxit, id quod patet ex GEN. XVI. 1. 2. Apostolus vero intelligit Abrahamum, mox ante circumcisionem consideratum, adeoque post tredecim inde annos & quod excurrit, intra quod temporis spatium fides ipsius varia capere potuit incrementa. Etenim ROM. IV. 17. Deus dicitur eum *constituisse Patrem multarum gentium*, quæ promissio demum GEN. XVII. 5. facta est. Pariter in hanc Abrahami aetatem unice quadrant, quæ v. 19. occurrunt. Ob hanc robustiorem fidem, qua promissiones Divinas complexus est, dicitur v. 16. prouti ex hujus nexu cum sequente evidentissimum est, *Pater omnium fidelium*, i. e. exemplar, quod imitari, vel cujus vestigia sequi debent fideles, quemadmodum ipse Apostolus hanc phrasin interpretatur v. 12. Hinc etiam verbum פָּאֵרִים GEN. XVII. 17. rectissime: *gavisus est*, vel *præ lætitiis risit*, veretur, vid. Summe Vener. MICHAELIS Annot. ad hunc locum &

conf

conf. STOCKII Lexicon, adeoque alium hic significatum habere videtur, quam GEN. XVIII. 12. ubi de Sara adhibetur. Obiter tandem moneo, vocabulum, *διαθήκη*, quod GALAT. III. 17. de federe hoc Abrahamico usurpatur, nequaquam infringere sententiam meam de initio V. Testamenti in Scholio 2. propositam. Cum enim vocabulum hoc & *fædus* & *testamentum* denotet: quid impedit, quo minus prior significatio hic locum habeat, ut sibiinet ipsi tanto rectius constet Apostolus?

*Schol. 6.* Apparitiones Divinæ sunt quidem opera Dei ad extra (CARPOVII Theol. Rev. Dogm. T. I. §. 896.) adæoque indivisa (ibid. §. 908.). Attamen quamvis productio alicujus formæ visibilis, quæ ob absolutam essentia Divinæ invisibilitatem I. TIM. VI. 16. ad omnem apparitionem necessaria fuit, tanquam opus ad extra, toti essentia Divinæ ex æquo tribuenda sit: nihil tamen impedit, quominus eadem ad certam modo Divinitatis personam terminata esse potuerit, adeoque apparitiones ipsæ considerandæ sint ceu opera Dei ad extra non *essentialia*, sed *personalia*: vid. Ej. Auct. lib. cit. §. 912. Schol. 2. Quoniam itaque quedam apparitiones Filio Dei in Scriptura Sacra manifesto tribuuntur, e. gr. Legislatio Sinaitica PSAL. LXVIII. 18. 19. ACT. VII. 38: merito ex analogia idem de reliquis apparitionibus Divinis judicant tantum non omnes, certe nostrates Theologi, nisi apparitio quedam expresse ad aliam personam fuerit restricta. Hinc etiam dicitur מלאך הגואל *angelus redemptor* GENES. XLVIII. 16; מלאך יהוה *angelus Domini* EXOD. III. 2. seqq.; מלאך *angelus interpretis* IOB. XXXIII. 23. conf. IOH. I. 1. ubi dicitur λόγος, h. e. interprete RAMBACHIO in Hist. Eccl. V. T. Part. I. pag. 312. Orator totius S. S. Trinitatis; מלאך פניו *angelus facierum ejus*, sc. Dei Patris, ES. LXIII. 9. conf. HEBR. I. 3.; מלאך הברית *angelus federis* MAL. III. 1. מלאך נאֵר *εξοχον*, HOS. XII. conf. GEN. XXXII. 25. sq. vid. CALOVII Systema Locorum Theolog. Tom. IV. Cap. De Angelis Qu. XIX. p. m. 211. usque ad pag. 273. & QVENSTEDII Theologiam Didactico-Polemicam P. I. Cap. XI. Sect. II. Qu. XI. p. m. 494. usque ad pag. 509. Sententiam hanc, quod secunda Divinitatis Persona quasi preludia incarnationis suæ futuræ ediderit, uno ore omnes catholicos trium primorum seculorum Doctores fuisse professos, Arria-

nos vero hac *προσπάσει* ad erroneas suas opiniones tuendas abusus, ostendit, simulque recentiores quasdam de hoc argumento agitatae controversias enarrat LAVR. HAGEMANNVS in notis suis ad THOMAE TENNISONII, Archiepiscopi quondam Cantuariensis, Commentationem theologico-historicam de *apparitionibus Dei in V. & N. T. symbolis*, & quidem ad Cap. II. De *medela Idololatriæ per Schechinam*. p. m. 29. seqq. not. (k). Explicationem vero, quam loc. cit. dedit TENNISONIVS, aut falsam, aut obscuram, aut insufficientem merito iudicavit Cel. CARPOVIUS Theol. Rev. Dogm. Tom. III. §. 362. Schol. qui etiam BARCLAI, POIRETI & PETERSENI figmenta de corpore Christi cælesti ante incarnationem ex Maria profligavit. Tom. II. §. 189. Schol. 1. 2.

*Schol. 7.* Ex indole legum cæremonialium, a me paucis exposita, satis superque patet, Deum eas condendo, longe majora sapientie bonitatisque edidisse specimina, quam IOH. MARSHAMVS in Canone chronico Aegyptiaco, Ebraico, Græco, & IOH. SPENCERVS de Legibus Hebræorum ritualibus earumque rationibus, sibi persuaserunt, existimantes, sacras Hebræorum cæremonias superstitioni Aegyptiorum suam debere originem, Deumque sese pervicaci populi ingenio tantum attemperasse, & iis ritibus, qui peccatorum exempla vel occasiones exstiterant, tanquam membris corruptissimis, a cultus antiqui corpore resectis, reliquos, paulum emendatos, (de quo tamen dubitanter loquitur MARSHAMVS) ceu *inceptis magis tolerabiles*, in sacrum album transcripsisse, secundum illud TACITVS: *arcana novæ status, imago antiqui*, ut per prima & leviora hæc obedientie rudimenta ad pietatem virilem & severam populi infantiam sensim ac leniter erudiret. At dudum vapulavit hæc opinio a viris eruditissimorum scripta recenset Summe Vener. PFAFFIUS in præfatione ad dictum opus, in primis vero sub accuratum examen revocata est a WITSIO de Aegyptiacorum Sacrorum cum Hebræis collatione.

*Schol. 8.* Dum in statu Patriarchali nullam Scholarum mentionem inieci, non ignoro, Rabbinos de SEMO tradidisse, quod, Schola in monte Thabor instituta, morum doctrinam discipulis suis inculcaverit. vid. *der allgemeinen Weltgeschichte ersten Theils*. §. 291. Unde etiam

IONA-



IONATHAN GEN. XXV. 22. reddidit: *ad Scholam magni Semi iuit.* Cum vero hæc opinio sola Rabbīnorum auctoritate nitatur, qui dudum fabularum fabri impudentissimi audire meruerunt: eidem subscribere nolui. Neque majorem fidem meretur alia ipforum traditio, quod ABRAHAMVS domi suæ publicam aperuerit Scholam, ubi ipsemet juvenibus, quemadmodam uxor ipsius Sara puellis veræ religionis tradidit principia. Prius membrum evincere conantur ex GEN. XIV. 14. ubi dicitur Abrahamus eduxisse הַנִּיכָן, initiatos suos, vertente SCHMIDIO. Quamvis vero radix הַנִּיכָן adhibeatur de prima puerorum institutione PROV. XXII. 6. generalis tamen vocis notio secundum STOCKIVM est *initiare*, specialis autem, si de domo adhibetur, est *rem novam consecrare, primum usurpare*. PSAL. XXX. I. I. REG. VIII. 63. BEVT. XX. 5. Adeoque, si de homine dicitur, primum tentamen, cum eo institutum, commodissime significare potest. Non itaque hic denotantur discipuli Patriarchæ, sed servi, quos nunc primum militiæ colendæ adhibuit. conf. RAMBACHII Hist. Eccl. P. I. p. 282. Hinc tamen minime nego, quin potius contendo, Abrahamum non modo domi suæ, sed etiam sermonibus, publice habitis, veram propagasse religionem. GEN. XVIII. 19. XII. 8. XIII. 4.

*Schol. 9.* Ex rationibus in ipsa §. adductis satis superque patet, quomodo per Philosophiæ studia, diligentius exulta, nec non ideas propositionesque universales, etiam ad infimam plebis sortem paulatim inde emanantes atque propagatas, animos hominum ad Religionem Christianam recipiendam præparatos fuisse. Non equidem nego, omnes Philosophorum sectas, eo tempore florentes, gravissimis confurcatis fuisse erroribus. Interim tamen per Philosophiam, etiam falsam, acquiri potest habitus universalis sibi representandi, & nexum rerum percipiendi, cum forma ratiociniorum vera esse queat, licet vitium fuerit in materia. Eiusmodi vero habitu contracto, miracula Apostolorum eo facilius agnosci, conciones, ab illis habitæ, eo rectius percipi, præjudicia, quibus mentes hominum obnubilatæ erant, eo citius animadverti atque deponi, adeoque vera religio eo felicius admitti potuit. Si dubitas: fingas velim paganam, ab Apostolo convertendum, qui idololatricis ritibus a teneris unguiculis innutritus fuit, & expectationem casuum similibus loco rationis in tantum non omni-

bus actionibus suis secutus, habitu universalia rite percipiendi destituitur. An hic recte Apostolum intelliget, de falsitate idololatriæ, perfectionibus Divinis, gravitate peccatorum, pœnis protensive infinitis compendandorum, satisfactionis necessitate, fidei indole &c. graviter non minus, quam copiose concionantem? An Spiritus Sanctus ordinarie in adultis alia ratione, quam per verbum, & quidem recte perceptum, operatur? An gentilis miracula, ab Apostolo ad confirmandam doctrinam edita, a præstigiis aliisque effectibus naturalibus satis distinguere valet? Alterum momentum apud omnes est in confesso. De primo & tertio valde dubito. Et in eo tamen statu tantum non omnes gentiles, si a litteris abstrahatur, quæ universales complectuntur propositiones, considerandi sunt. Hinc patet, præparationem per veritates universales, ad litteras pertinentes, ad veram religionem capessendam esse necessariam, & tanto magis requiri, quanto illa a sensibilibus fuerit remotior. Unde merito colligo, præparationem ad religionem Christianam per abstractarum scientiarum studia fieri debuisse. Sin veris denique exemplis convinci malueris: ad Paulum, electum illud Dei instrumentum ACT. IX. 15 respicias velim. Hic non modo in Judæorum doctrina probe erat eruditus, ejusque cognitione inter multos suæ ætatis sexusque excelluit, GAL. I. 14. sed etiam in gentilium Poëtarum scriptis optime versatus, adeoque ratione haud leviter exercitata polluit, vid. Summe Vener. D. D. BAUMGARTII Prolegom. ad Commentarium in Epist. ad Romanos pag. 4. not. (s). Hinc factum miraculum in itinere, Damascum suscepto, mox agnovit, Jesum vocantem lubenter audivit ACT. IX. 3-6. damnatisque pristinis erroribus, non modo baptismi quasi sigillo fidem suam confirmavit v. 19. sed etiam, paucis diebus in consortio discipulorum peractis, Christum in Synagogis prædicabat, & magis magisque confirmatus Judæos confudit, Jesum Nazarenum verum esse Messiam demonstrans v. 20. 22. Immo vero deinde doctrinam de libertate Christiana ad evitandum scandalum rectius applicare novit, quam Petrus, licet hic ipsius Christi informatione fruius, & longe antea ad Christianismum esset conversus GAL. II. 11. sq. conf. STARCKII Synoplin Bibliothecæ Exegeticæ ad v. 13. Possem etiam provocare ad conversionem Camerarii Reginæ Candacis, qui etiam

etiam litterarum procul dubio minime rudis fuit ACT. VIII. 26. seqq ad Patres primorum seculorum, a gentilismo ad Christiana Sacra con-  
 versos, sed potius ad MOSEN regredior, omnem Aegyptiorum Sapien-  
 tiam edoctum, de qua vid. der allgemeinen Weltgeschichte erster Theil. §.  
 555-569. & RAMBACHII Hist. Eccl. pag. 562. seq. 574. seq. & 963. sq.  
 nec non I. REG. IV. 30. Tota vero hujus Herois biographia adeo  
 luculenta specialis providentiae Divinae specimina continet, ut præpara-  
 tionem hinc ad futurum munus factam esse nemo facile negare audeat.  
 CLERICI scommata, quibus sapientiam Mosis rodere non erubuit in  
*Judicii Theologorum quorundam Batavorum super Historia Critica*  
*Richardi Simonis*, quæ tamen plane omisit in Prolegom. ad Genesis  
 Diss. III. *De Scriptore Pentateuchi Mose*, heic non moror, cum a  
 WITSIO in Miscell. Sacr. Tom. I. Lib. I. Cap. VII. §. 10. seqq. solide  
 refutata sint.

*Schol. 10.* Quoniam in sacro codice a *veritate hermeneutica ad*  
*veritatem dogmaticam* tuta semper est colligendi ratio: sententia mea  
 de vero dicti Apostolici sensu haud mediocriter munitur, si ipsi rerum  
 indoli eandem quam maxime consentaneam esse ostendero, (vid.  
 Summe Vener. D. D. BAYMGARTHII Hermen. S. Cap. I. §. 7. & Scho-  
 lion-eidem subnexum), id quod jam in sequentibus brevi præstare  
 conabor.

## §. 22.

Ex experientia pariter ac principiis psychologicis con-  
 flat, facultatem cognoscitivam superiorem in habitum non  
 elevari, nisi per exercitia frequenter instituta. Neque mi-  
 nus notum est, facultatem cognoscitivam inferiorem repræ-  
 sentationes suppeditare, unde formantur illa, quæ ad supe-  
 riorem pertinent; & quo pauciores hujus generis cognita  
 sunt, eo difficiliori opera alias novas indagari. Immo vero  
 characteres, qui generum specierumque notionem constitu-  
 unt, alienis sæpe determinationibus adeo implicitos immer-  
 sosque esse, ut etiam ab iis, qui universalibus contemplan-  
 di

dis omnem suam dederunt operam, vix ac ne vix quidem erui queant; & plurimas veritates sine artificijs heuristiceis inveniri non potuisse. Iam si statum generis humani ante diluvium consideraverimus: facile patet, lentos rationis excolendæ fuisse progressus. Protoplasti quidem imagine Divina initio erant ornati, quæ tamen nequaquam, ut ATHANASIVS KIRCHERVS aliique voluerunt, complectebatur quas-cunque artes & scientias, quæ hodie a Philosophis aliisque eruditissimis excoluntur, sed tantum satis claræ eorum cognitionem, quæ pro statu & fine ipsis scitu erant necessaria. vid. Summe Rev. D. D. SCHVBERTI Instit. Theol. Dogm. §. XXVII. XXVIII. Deinde vero, perdita imagine Divina, cognitionis quoque decrementum passi sunt. Ex nullis itaque rationibus evinci potest, eos, præsertim post lapsum, cognitione excelluisse, contrarium potius ex paucissimis illis, quæ in S. Codice de ipsis commemorantur, attento Lectori haud obscure constat. Præterea perpauca modo artes erant inventæ, exque ad vitæ modo necessitatem, uti videtur, excoltæ. Per facultatem itaque cognoscitivam inferiorem, partim ob neglectam hujus culturam, partim ob defectum satis amplæ varietatis repræsentationum distinctarum sensualium, quæ ex artis, quam naturæ operibus, facilius hauriuntur, superior facultas parum perfici potuit. Accedit, quod agriculturæ reique pecuariæ potissimam dederint operam, & tantum non omnes tandem perditis immergi essent voluptatibus. Litteræ, mirificum illud meditandi pariter ac meditata conservandi propagandique artificium, ipsis quoque defuisse videntur. vid. Max. Rev. D. D. HEVMANNI Acta Philosophorum P. V. C. I. *De Philosophia Patriarcharum* §. 23 - 34. & Conspect. Reipubl. Litter. Cap. III. §. II. ut sexcenta alia subsidia

subsidia taceam, quibus nos jam fruimur, homines vero ante diluuium fuere destituti. Si itaque simul miras difficultatum spinas, quibus via ad veritates universales oblita est, iusta mentis lance ponderaverimus: faciles largiemur, homines in hac temporis periodo, quamvis per aliquot secula vitam suam transegerint, facultatem cognoscitivam superiorum ad exiguum modo habitus gradum provehere potuisse. conferri meretur admodum REV. IACOBI BRVCKERI Hist. Crit. Philos. Tom. I. Lib. I. Cap. II. *De Philosophia Antediluviana*, ubi simul argumenta, pro scriptis & insigniori Patriarcharum quorundam philosophia adducta, erudite refellit.

## §. 23.

Per diluuium, quo Deus, tamquam minori malo, malum majus obstruxit, inventa quaedam veritatesque detectæ obliteratæ sunt. Rudimenta tamen aliqua in familia Noachi remansisse videntur, cum non longe post diluuium vestigia variarum artium deprehendere liceat. Verum enim vero quocumque oculos animumque converterimus, infantia mundi luculentissimis sese documentis prodit, neque ob remoras, in § præcedenti adductas, per aliquot secula maturiorem ætatem adsequi potuit. Theologia omnium fere gentium mox idololatricis superstitionisque ritibus mirum quantum corrupta fuit, unde insigne facultatis cognoscitivæ inferioris præ superiori prædominium eo evidentius est, quod in primis SOL & LVNA, tamquam sensibilibus fortissima, sub variis nominibus, variis rationibus, a diversis gentibus, Divino cultu honorata sint. vid. GER. IOAN. VOSSII *De Origine & Progressu Idololatriæ* Lib. II. Cap. II - XVII & Cap. XVIII - XXIX. Chaldaeos, qui unanimes consensu omnium primi litterarum studia

dia coluisse censentur, astrorum scientiæ potissimam impendisse operam, notissimum est. vid. BRVCKERI l. c. Lib. II. Cap. II. Ultra observationes vero, ab astrologia, quæ scientiæ titulum non meretur, si discefferis, parum fuisse progressos, patet partim ex ignorantia Geometriæ, quæ demum post captiuitatem Babylonicam a Græcis diligentius fuit exulta, sine qua tamen vera Astronomiæ theoria haberi nequit; partim ex modo apud Iudæos determinandi novilunia, vid. *Allgem. Weltbist. Th. III. §. 25. Anmerk. (H)*, quamvis calendarium suum quoad mensium nomina ad Chaldæorum morem mutassent; partim ex eo, quod THALES MILESIUS primus ex astronomiæ principiis defectionem solis prædixit, cfr. *de Divinatione Lib. I. PLINII Hist. Nat. Lib. I. Cap. XII*, quem admodum AMOSYS ante ducentos inde annos ex revelatione idem phænomenon prænucciaverat (vid. AMOSI VIII. 8. 9. 10. & conf. RAMBACHII *Hist. Eccl. P. II. p. 501*); partim denique ex eo, quod exigua Astronomiæ incrementa inter potissimas rationes, cur Chronologia antiqua tot tenebris involuta sit, merito referantur. vid. IOH. IAC. SCHMIDTS *Bibl. Hist. Th. II. Verb. §. 3*. Forte etiam hinc factum est, ut Astronomia litteris humanioribus, quæ habitibus facultatis cognoscitiuæ inferioris potissimum nituntur, annumerata sit. De toto hoc argumento conferri meretur Cel. IOH. FRID. WEIDLERI *Historia Astronomiæ Cap. V & VI*, unde patet, scientias mathematicas, & in primis Astronomiam, demum post institutum Gymnasium Alexandrinum, quod Anno CCLXXXIII ante C. N. factum est, insigniora cepisse incrementa. Si in Scientiâ, diligentissime ab iis culta, adeo exiguos fecerunt progressus: quid in aliis præstiterint, facile suspicari licet. Nimis vero longum foret, immo a scopo meo

meo alienum, si non modo reliquam Chaldaeorum Philosophiam, sed etiam Aegyptiorum, Persarum, Indorum, Sinarum, Arabum, Phoenicum, Scytharum aliarumque gentium philosophandi rationes examinarem. Qui BRVCKERI Historiam Criticam Philosophiae aliosque Historia Litterariae Scriptores pervolverit, satis superque deprehendit, pleraque eorum dogmata obscuritate laborare inextricabili, sensibilibusque involuta esse, adeoque facultatem cognoscitivam superiorem eo tempore exiguas modo contraxisse vires. In primis vero adsertio mea ex antiquissimis COSMOGONIIS est manifestissima. vid. *Ugem. Welthist. Th. I. Abschnitt II. der Einleitung.* Post haec scientiarum praeludia, majora celerioraque incrementa ceperunt, dum Graeci disciplinas, ab Aegyptiis acceptas, seculo ante Christum natum sexto diligentius excolere coeperunt, praecuntibus THALETE, PYTHAGORA, SOCRATE, ARISTOTELE, CARNEADE, EVCLIDE, ARCHIMEDE, APOLLONIO Pergaeo, aliisque. Neque hic omnes sectas nequidem percurrere licet. Duo modo obfero: Sectarum varietatem variis propositionibus inveniendis exactiusque examinandis occasionem suppeditasse; & Scepticis multum debuisse Dogmaticos, qui hinc ad dogmatum suorum rationes altius repetendas magisque exasciandas & perpoliendas fuere coacti. Fieri itaque non potuit, quin intellectus vires magis magisque adoluerint. A Graecis scientiarum studia ad Romanos transportata sunt, vid. HORATII Lib. II. Ep. I. v. 156 & LIVII Lib. XXXIX. Cap. 8. A Romanis vero ad alias, in primis, quae ab illis devictae erant, gentes pervenerunt, quamvis negari nequeat, apud quasdam jam antea scientiarum quasi auroram emicuisse. Sic e. gr. apud Celtas DRVIDES, apud Scythas ARACHARSIS, ZAMOLXIS, apud alios

alii floruerunt. Ex iis, quæ hæcenus allata sunt, haud obscure patet, totum genus humanum, quoad facultatem cognoscitivam superiorem, varia cepisse incrementa, quæ cum ætatibus vitæ humanæ aptissime comparari queunt.

*Schol. i.* Quemadmodum in § præcedenti posui, facultatem cognoscitivam superiorem inferioris ope ad habitum elevandam esse: ita quoque artes liberales & literæ humaniores, quæ omnes Veneres suas huic acceptas referunt, fastigium fere suum ante attigerant, quam scientiæ vel leviter caput attollere cœperunt. Ex variis HOMERI, Scriptoris ex profanis antiquissimi, locis constat, picturam, artem sculptendi, architecturam civilem & militarem jam ante bellum Trojanum, quod Seculo XIII. ante natum Christum contigisse putatur, ex suis quasi ephebis excessisse. Et ipse Homerus, qui Sec. XI. ante nativitatem Christi auras hausit vitales, eam obtinuit gloriam, ut nondum his ad finem perducta sit, illene, an Virgilius, ceu perfectissimum exemplar, quod Poëta imitentur, haberi debeat. vid. BOIVINS *Abhandlung von dem Streite über Homers und Virgils Anhänger in der Geschichte der Königl. Akademie der schönen Wissenschaften zu Paris Th. I. p. 200.* Ex Sacro autem Codice constat, jam ante templum Salomoneum, quod ab initio Seculi XV. ante natum Christum exstructum est, apud Tyrios artes mechanicas floruisse (vid. i Reg. IV. V. & inprimis VI. VII.), quæ picturam supponere videntur, ut jam pyramides Ægyptiorum aliæque splendidissima apud ipsos ædificia, rudera Palmyræ, & perplurima alia non minus antiqua, quam stuporem omnium excitantia architecturæ miracula, quæ passim in der *Allgem. Welthist.* commemorantur, sicco, quod ajunt, pede plane præteream. Prima artium & disciplinarum liberalium initia determinari nequeunt, id quod haud leve vetustatis argumentum præbet. Eas tamen non longo demum temporis tractu post se invicem inventas esse, ex arcto, quo constringuntur affinitatis vinculo, probabile videtur. Orator enim & Poëta verbis ea exprimunt, quæ Pictores coloribus, Musici sonis, & Sculptores in solido exhibere nituntur. Hinc etiam SAAVEDRA in *Idea Principis Christiano-Politici: unius notitia*, inquit, *absque ornamento aliarum ignorantia.*



*rantia quædam species est. Scientia enim, nexis velut manibus, haud aliter conficiunt circulum, ac novem Musæ solent, cum choros ducunt. Conferri meretur *Kenntnisse aller Drei in Künste und Schönen Wissenschaften vom Anfang der Welt bis auf unsere Zeiten, cujus IV partes jam Lipsiæ prodierunt.**

*Schol. 2.* Homines antiquissimos sensibilibus maxime fuisse detentos, adeoque viribus facultatis cognoscitivæ superioris minime polluisse, patet etiam partim ex *actionibus ipsorum hominum*, partim ex *actionibus Divinis*, hominum gratia perpetratis, tam *immediatis*, quam *mediatis*, id quod jam paucissimis ostendere conabor.

## §. 24.

Statum Patriarchalem hic prætereo, cum in antecedentibus specimina occurrant, unde sententiæ meæ veritas minime dubia esse potest. Historia vero Judaica tot abundant exemplis, idem comprobantibus, ut iis solis enumerandis vix ac ne vix quidem sufficeret opusculum, dissertationis limites non transgrediens. Unum alterumve igitur ex iis modo excerptam, quæ mihi evidentissima visa sunt. Tale vero mox post egressum ex Ægypto offenditur. Quamvis enim tot ac tanta miracula in Ægypto nuperrime facta essent, quot & quanta vix unquam intra adeo breve temporis spatium contigerunt; quamvis Schechina, cursum Israëlitarum directurus, comparuisset, ipsosque ab exercitu Ægyptiorum obtexisset; quamvis per mare rubrum perpaucos ante dies transiissent, Pharaone cum toto exercitu suo undis submerso; quamvis denique Deum paulo ante iusto cultu essent profecuti, Mosemque Prophetam Divinum habuissent, *EX. XIV. 31.*: aqua tamen dulci, qualem ex Nilo, cujus ὕδωρ γλυκύτατον erat, teste STRABONE, haurire sueverant, destituti, non Deum invocarunt, sed contra Mosem murmurarunt, infantu-

fantulorum simillimi, qui præteritorum mox obliuiscuntur, ad præsentia modo intenti. Immo vero licet deinde frequentissimis miraculis ex veterno fuerint excitati, & propter idololatriam gravissime puniti: idola tamen non modo in deserto coluerunt, AMOS. V. 25 & MICHAELIS annotata ad h. l. sed etiam post occupatam terram Canaan IOS. XXIV. 23. Et quamvis Josua præterea sollemni foedere populum ad verum Dei cultum obstrinxisset: *surrexit tamen generatio alia post eos, qui non cognoverunt Jehovam* (propria experientia vel ea ratione, qua patres ipsorum) *etiamque opus, quod fecit Israëli*, adeoque in foedissimam prolapsi sunt idololatriam IUDIC. II. 10-14, occasionem forte suppeditante Micha, IUDIC. XVII. XVIII. Dūdum enim obseruauit viri eruditi, historiam hanc ad tempus inter obitum Josuæ & primum, qui eum secutus est, Judicem referendam esse. vid. RAMBACII Institut. Herm. Sacr. Lib. II. Cap. 6. §. 3. p. n. 223. Neque majorem constantiam sequentibus temporibus præstiterunt. Etenim frequentissima quidem experti erant vindicta Diuinæ documenta, & decem tribus jam in captiuitatem Babylonicam transportatæ; hæc omnia tamen non impediabant, quominus concionibus atque minis Prophetarum iusque deque habitis, proverbium inter ipsos existerit: *prolongabuntur dies & peribit visio* HEZECH. XII. 22. Simile leuitatis plus quam puerilis exemplum occurrit IER. XXXIV. 8-II. Alias gentes sensibilibus minus fuisse immerlas, nulla est suspicandi ratio, quin potius contrarium ex exemplo Pharaonis, qui ad evidentissima miracula animum suum obduravit, luculentissimo indicio patet. Veteres sensibilibus valde fuisse delectatos, patet etiam ex lingua, quæ in scriptis ipsorum, in primis Orientalium, tota est figurata, symbolica

lica & emblematica, judice S. V. D. BAVMGARTEN in Herm. Sacr. Cap. VI. §. 104. Schol. Hinc etiam libri Veteris Testamenti dogmatici comparationibus abundant, & Proverbia שלמי שרשי five *similitudines* vel *comparationes* Salomonis dicta sunt. Ex eodem hoc fonte profluxerunt locutiones *anthropomorphicae* & *anthropopatica*, quæ in V. T. sunt frequentissimæ. Male itaque eas ex ethnicismo derivat CLERICVS ad GEN. XI. 5. p. m. 104, quippe quæ potius miram Dei *συγκατάβαση* studiumque captui hominum sese accommodandi testantur. conf. S. V. D. BAVMGARTEN l. c. §. 24.

*Schol.* Longe plura afferre potuissem specimina, nisi credidissem, adducta scopo meo sufficere. Unicum tamen documentum plane præterire nequeo, summam scilicet curam, quam formæ externæ in eligendis Principibus habuerunt hominum vetustissimi. Unde etiam ipse Samuel Eliab ob staturæ proceritatem formæque decus ex Isai filiis eum fore, quem ungeret Regem, mox judicavit 1. Sam. XVI. 6. 7. Saulum forte eam ob rationem electum fuisse ratus. conf. 1. Sam. XIII. 14. Et PLVTARCHVS de Puerorum institutione Cap. II. magnopere Lacedæmonios laudat, qui Archidamum, Regem suum, opibus mulctarunt, quod mulierem, statura parvam, uxorem ducere iussit, subjungentes, quod non βασιλέας, reges, sed βασιλίους, regunculos, ipsis parare vellet. Immo vero Agefilas quamvis rerum gestarum gloria unus omnium maxime floruerit: ab Ægyptiis tamen propter formæ humilitatem plane contemnebatur, nec sapientissimis suis consiliis ullam sibi apud eos auctoritatem conciliare valuit. vid. Allgem. Welthist. Th. V. §. 800. not. (K). Hinc etiam Abbas TILLADET existimat, potissimos antiquissimarum gentium Duces fuisse gigantes. vid. Geschichte der Königl. Akad. der schönen Wissenschaften zu Paris Th. I. p. 139.

§. 25.

Ex actionibus divinis immediatis nulla ad probandam sententiam meam evidentior videtur, quam ipsa Constitutio  
Oecono-

Oeconomix Salutis, tam in statu Patriarchali, quam in Veteri T. per sensibilia representata. Ejusmodi enim cognitio per ipsam essentiam obscuritate laborat (§. 21), & major cognitionis gradus fini Divino fuisset convenientissimus, si modo eum homines capere potuissent. Neque typorum necessitas ex adventu Messix futuro colligi potest, cum veritates, salutis negotium concernentes, nihilominus sine sensibilibus involucri representari potuissent, quemadmodum in N. T. factum est. Ex eadem ratione profluxisse videtur, quod Deus bona potissimum sensibilia, tamquam motiva bonarum actionum suscipiendarum malarumque fugiendarum, adhibuerit. vid. GEN. XII. 7. XIII. 15. XV. 7. XXVI. 34. DEUT. XXVII. XXVIII. Inde enim colligere licet, eas facultati cognoscitivæ superiori nondum fuisse vires, ut spiritualia bona satis fortiter sibi representare potuerit, quippe quæ, ceu majora bona, alioquin fortiora quoque suppeditassent motiva, adeoque a Deo ad finem suum eo rectius obtinendum sæpius fuissent usurpata. Hinc etiam ex historia Judaica est notissimum, populum hunc florentissimo rerum suarum statu fruitum esse, quamdiu Divina servaverit præcepta, hisce vero turpiter relictis, in nefandam idololatriam prolapsum, a Syris, Moabitibus, Philistæis, Midianitis, Ammonitis aliisque gentibus in servitutem fuisse redactum. Immo vero adeo consueverunt Judæi pietatem ex felicitate externa metiri, ut, quia sub Jerobeamo II. Deus regnum Israëliticum per plurimis beneficiis ornaverat, ipsimet se vere pios crediderint, & ad cultum idololatricum Judæos strictè sic dictos seduxerint, id quod ex Prophetia Hoseæ haud obscure constat. Ex eadem ratione Hiobi amici, pietatem, quam præ se tulerat, infucam fuisse & hypocriticam, suspicati sunt. conf. 10h. IX.

2. Ha-

2. Habuisse tamen omnis aevi homines vitæ futuræ cognitionem, erudite probat REINBECKIVS Medit. XL in Augustanam Confessionem §. 74 - 79. Immo vero Terra Canaan apertissimus ejusdem typus erat. Quum enim murmurationibus suis ingrati Israëlita Numen provocassent, quasi juramento confirmavit: *vivus ego, si videbunt terram, quam juravi patribus eorum.* NUM. XIV. 21. 23. Hoc vero ps. XCV. II. ita exprimitur: *quibus juravi in vita mea, si venio ad requiem meam, quam iterum PAVLVS de vita spirituali & cœlesti, per Christum parta, interpretatur* EBR. IV. I - II. Argumentum hoc de typica terræ Canaan significatione fusius pertractavit WITSIVS in Oecon. Fœd. Lib. IV. Cap. XI. §. V - XII. Quemadmodum vero Deus sensibilia adhibuit motiva: ita quoque eadem ratione *beneficium* suum de bonis, *displacitiam* vero de malis sapius est testatus. Ante diluvium Henochum absque ordinaria mortis via in cœlestia palatia transfudit Deus, ut sensibili aliqua ratione homines, tantum non omnes turpissimo Epicureismo deditissimos, de veritate præmiorum in futura vita convinceret, & forte præludium eorum exhiberet, quæ in extremo judicio contingent. I. THESS. IV. 17, vivis adhuc omnibus Patriarchis, præter Adamum & Noachum. Post diluvium idem ex hac vita exitus Eliæ tribuitur. 2. REG. II. II. Neque infrequenter Deus *evdorian* ob sacrificia, in vera fide exhibita, sensibili ratione per ignem cœlitus missum & sacrificia consumentem testatus est. GEN. XV. 17. LEV. IX. 24. IVD. VI. 21. XIII. 20. I. CHRON. XXI. 26. I. REG. XVIII. 38. 2. MACC. I. 32. Unde etiam probabilis redditur Interpretum sententia, existimantium, beneficium Divinum GEN. IV. 4. eadem ratione fuisse declaratum. Pari modo displacitiam suam quoque sapius comprobata dedit,

G

ut

ut homines sensibili ratione de Iustitia sua vindicativa redderet certiores. Ex plurimis, quibus facer Codex abundat, exemplis duo tantum adferam; scilicet de interitu miraculoso Korachi, Dathani & Abirami cum adseclis suis NUM. XVI. & de serpentibus מִשְׂרִפִּים NUM. XXI. 6, de quibus vid. SAM. BOCHARI Hieroz. P. II. Lib. III. Cap. XIII. Conferri meretur *Allgem. Weltkhist. Th. I. §. 435*, ubi volantes serpentes commemorantur, quos Ibides, aves Nilo propriae, ad fines Ægypti quotannis in magna multitudine congregatae, devorant.

*Schol. 1.* Non dubito fore plerosque, qui circuli in demonstrando vitiosi me arguant, quod in antecedentibus (§. 19.), præeunte Apostolo, ex indole facultatis cognoscitivæ superioris probavi indolem Oeconomix Salutis, & iam iterum ex hac illam collegi. At si rem accuratius perpenderit, ab hujus vitii suspitione me facile liberabunt. *Vitiosus enim circulus* adest, si ex A probatur B, cujus tamen veritas ab A pendet. Ab hoc sedulo discernendus est *regressus in demonstrando*, sive *regressus*, ut dici solet, *Apodicticus*, quando ex A quidem probatur B, & iterum ex B deducitur A; ast non quatenus veritas  $\tau\beta$  B ab A pendet, sed quatenus ex aliis principiis derivari potest. Iam ego quidem hic ex indole Oeconomix Salutis, a Deo præscriptæ, collegi indolem facultatis cognoscitivæ superioris; ast non quatenus illa ab hac evincitur, sed quatenus tamquam factum aliquod ex aliis principiis constat. Patet itaque, circulum hic non adeste vitiosum, sed regressum apodicticum, qui nihil involvit veræ demonstrationis notioni repugnans, & locum habet, ubicunque propositiones offenduntur, se invicem determinantes, adeoque a Theologis rectissime adhibetur, Divinam Scripturæ Sacræ originem demonstraturis. Conferri meretur erudita Dissertatio, sub Præsidio S. V. D. BAUMGARTEN A. MDCCXLII habita, ubi *Demonstrationes Divinitatis S. S. a Suspitione circuli vitiosi vindicantur*.

*Schol. 2.* Cur Moses l. c. bona potissimum temporalia, tamquam motiva, adhibuerit, aliam plane rationem dedit REINBECKIUS *Medit. XL in Augustanam Confessionem §. LXXX existimans, Mosem*

Mosē, vel ut *Statorem Reip. Judaicæ*, vel ut *Mediatorem inter Deum & Populum* considerandum; neutro autem intuitu ob varias rationes conveniens fuisse, ut bona promitteret spiritualia atque æterna. Non equidem nego, argumenta, a facillimo hoc Viro adducta, magnam veri speciem præ se ferre. At si accuratius expendantur, vereor, ut probandum evincant. Si enim Mosēs vel maxime ut Stator Reipublicæ Judaicæ consideretur, leges civiles sanciens, quibus temporalis felicitas sola promovetur: negari tamen non potest, quin legum civilium violatio cum legis naturalis transgressione, adeoque eatenus cum dispendio salutis æternæ, conjuncta sit. Non itaque inconveniens fuisset motiva a futura vita petere, quemadmodum id etiam a Principibus hodiernis interdum fieri solet. Præterea Mosēs etiam considerandus est ut *Propheta*, qui voluntatem Divinam immediate sibi a Deo revelatam populo annuntiavit DEUT. XVIII. 18. NUM. XII. 6. 7. 8. Et hic respectus in hoc negotio potissimum est attendendus, cum leges jam antea essent latæ, & omnia prænunciata comprobaverit eventus. Deinde præter *leges civiles* tulit quoque *leges morales & ceremoniales*, quibus pro temporis ratione *Oeconomia salutis* continebatur. Non modo illæ, sed etiam reliquæ hic in considerationem veniunt. vid. GEN. XXVII. 15. 16. &c. XXVIII. 1. Promissiones itaque bonorum spiritualium minime inconvenientes fuissent. Accedit denique, quod quædam leges forenses typicam habuerint significationem, adeoque in ipsam Oeconomiam Salutis fuerint implicatæ. Exempla dedit explicuitque Cel. CARPOVIVS Theol. Rev. Dogm. T. III. §. 652. Schol. 3. 4. 5. 6. ad ultimum vero de supplicio crucis figurato conferri meretur VITRINGA Obs. Sacr. Lib. II. Cap. XII. ubi idem argumentum fufius, & pro more suo solide pertractavit. Hæc a me jam brevius annotata si observentur, ad reliqua argumenta Viri, supra meas laudes positi, facilis est responsio. Aliam viam ingressus est Plurimum Rev. IOH. FRID. IACOBI in pereleganti libro, cui titulus: *Betrachtungen über die weisen Absichten Gottes bey den Dingen, die wir in der menschlichen Gesellschaft und der Offenbarung antreffen, im 3ten Grundriß de causâ, cur Deus populum suum in V. T. potissimum per temporalia motiva ad veram pietatem excitaverit.* Exillimat nempe laudatus Auctor, *Deum per*

leges constitutionesque suas impeditioem idololatria potissimum intendisse; universalem vero fuisse consuetudinem Potentiam, Majestatem, Amoremque Dei alicujus in cultores suos ex victoriis, ab hostibus reportatis, felicitate, qua fruebantur, externa, & certitudine oraculorum aestimandi. In his circumstantiis premia atque pœna post mortem ex sensibilibus Divinitatem dijudicantibus motiva non præbebant sufficientia. Hinc Deus sapientissimus cum cultu suo ea motiva, que sensus afficiebant, connectere debuit. Ratio a me allata si hic supponatur; Auctoris ratio est illius corollarium. Ideoque sententia ejus in hac hypothesi a mea non nisi proponendi modo differt, quæ procul dubio est vera mentem ejus interpretandi ratio. Sin vero illa hic negetur: fatendum est, Deum sese erroneis hominum opinionibus accommodando easdem confirmasse, id quod de viro erudito ac pio minime suspicari licet.

*Schol. 3.* Scrupulum cuiquam forte movebit, quod promissiones bonorum temporalium, per Mosem factas, ad actiones Dei immediatas retulerim. At quamvis *mediatæ* fuerint, quatenus populo proponebantur: *immediatæ* tamen erant, quatenus Mosi a Deo erant revelatæ. Eadem igitur actio pro diverso respectu & mediata & immediata dici potest, id quod etiam de aliis exemplis, tam in hac, quam in sequenti §. occurrentibus observandum est.

*Schol. 4.* Qui somnium Divinum, ecstasin & *Θεοπνευσίαν*, Urim & thumim, alloquium merum, & alloquium cum externo præsentia Divina symbolo conjunctum perpenderit, varios revelationum gradus ob diversam representationum claritatem facile deprehendit. vid. Cel. CARPOVI Theol. Rev. Dogm. T. II. §. 458. Ex historia autem Sacra constat, gradus hosce decremenda cepisse, donec tandem post captivitatem Babylonicam, conclusio Veteris Testamenti canone, omnes fere revelationes deserunt. Judæi quidem, urim & thumim cessantibus, prophetarum defectum sub templo secundo & thumim volunt voce cælesti, *קול בת קול* *filia vocis* dicta, HADRILANDI RELANDI Antiquit. Sacr. P. II. C. IX. §. IV. At Scriptura Sacra hunc revelationis modum ignorat. Loca enim, IOH. XII. 28. ACT. IX. 3. 4. XXII. 9, que excitat VITRINGA Obs. Sacr. Lib. VI. Cap. X.



Cap. X, ad alloquium commode referri possunt. Quoniam vero Deus sapientissimus nihil agit frustra, adeoque nec majori revelationis gradu utitur, quando minor sufficit: ex gradu revelationis majori minor gradus facultatis cognoscitivæ superioris colligi posse videtur, adeo ut gradus revelationis quovis tempore usitatissimus, nisi peculiaris ratio aliud suaserit, considerari possit instar barometri pneumatici, unde gradus intellectus cognosci queunt. Hinc iterum colligo, exigua fuisse ejus initia, & paulatim majora majoraque incrementa. Haud pauca equidem meditatus eram, argumentum hoc illustrantia. Quoniam vero opella primam intentionem meam jam superat; ea omittere cogor, ad finem properaturus.

## §. 26.

Ex actionibus mediatis unicum modo afferam exemplum, quod mihi instar omnium visum est. Scilicet cum miseram terræ Israëliticæ exustionem, trium annorum ficitate factam, Achabus, Rex Israëuitarum, Eliæ, hic vero illius idololatriæ imputaret: convenit inter illos, ut totus Populus una cum omnibus Prophetis Baalis lucorumque ad radices montis Carmel congregarentur. Jam parva ratiociniorum, ex ipsa rei indole petitorum, catena cultus Baalitici falsitatem ostendere potuerat Propheta. Sed aliam viam ingressus est, certamen cum Prophetis Baalis instituens, Deumque ad miraculum patrandum quasi cogens, ne causa caderet, cum tamen sensibili hac ratione mens populi non æque fuit illuminata, ac si internis argumentis fuisset convicta I. REG. XVIII. 19-39. Quoniam vero miracula sine gravissimis rationibus non perpetrantur: merito hinc concludo, Populum Israëliticum, certe maximam ejus partem convictionis intellectualis non fuisse capacem, adeoque facultatem cognoscitivam superiorem ad exiguum modo gradum apud eos fuisse elevatam.

*Schol. 1.* Aliæ per plurimæ in Sacro Codice offenduntur actiones Divinæ, quæ in mea hypothesi regulis summæ Sapientiæ sunt convenientissimæ, sin vero ab illa abstrahatur, Naturalistis haud levem cavillandi ansam suppeditare poterunt. Unde etiam haud contemnendum pondus sententiæ meæ accedit.

*Schol. 2.* Sed dubium maximi momenti ex sententia mea cuiusvis facile suboriri potest. Scilicet Theologi nostrates universalitatem vocationis, omni tempore factæ, ex apertissimis Scripturæ Sacræ oraculis defendentes, eandem in *directam* & *indirectam* dividunt, & hanc iterum vel ex *rationis lumine* vel ex *sana ecclesiæ* derivant. vid. Cel. CARPOVII Theol. Rev. Dogm. T. II. §. 82. 86. Quicumque igitur vires rationis minuit, is vocationem hac ratione peragendam, eo difficiliorem reddit, vel etiam plane impossibilem. At caverò, ne hoc mihi imputes. Exiguas, imbecilles intellectus vires dixi, aliasque æquipollentes loquendi rationes adhibui. Sin vero hinc impossibilitatem vocationis exculpere conaberis: demonstrandum tibi erit, quantæ rationis vires ad vocationem, de qua sermo est, requirantur; & quantas ex principiis meis adseruerim, ut sic constet, quantitatem effectus superare vires causæ. Tentamen vero hoc prorsus frustraneum esse mox deprehendes, cum nondum unitates sint inventæ, quibus vires mentis nostræ mensurantur, adeoque mathematicam earum cognitionem habere nequeamus. Hinc etiam determinatius mentem meam in antecedentibus exprimere non potui. Cæterum tria de hoc argumento observanda sunt. *Primum* fateor equidem ad veritates distincte concipiendas, unde vocatio in nobis generatur, haud exiguum requiri veritatum ante cogitarum apparatus, nec leviores intellectus vires. At de confusa earundem veritatum cognitione non idem sentio. Existencia enim Dei principio rationis sufficientis, quod non minus quam principium contradictionis menti nostræ naturale est, proxime involvitur, unde etiam notitiam Dei insitam tantum non omnes Theologi pariter ac Philosophi homini tribuunt, licet in modo, quo illa sese exerit, explicando sententiarum divortia dentur. vid. Cel. CARPOVII Elementa Theologiæ Naturalis Dogmatica & quidem Dissertationem Prolusoriam *de variis Deum cognoscendi modis*. §. 48. & 84-96. QVENSTEDII Theologiæ Didactico-

Didactico-Polemicae P. I. Cap. VI. p. 251. 252. & p. 254-261. Hac palmaria veritate praestruata, potissimae perfectiones Divinae haud difficulter cognosci possunt, & inde ad nosmetipsos simul attendentes, dependentiam nostram moralem deprehendimus. Hinc ulterius agnoscimus peccatorum a nobis commissorum multitudinem, poenarum necessitatem nec mediocrem gravitatem, simulque impotentiam Deo sine infelicitate nostra debitam praestandi satisfactionem, quam propter iustitiam suam remittere nequit. Qui hoc, licet confusius, vel etiam obturcius, cognovit, simulque suam in Bonitate Divina collocavit fiduciam, ei procul dubio Deus suam gratiam nunquam denegavit ROM. II. 4. conf. MATTH. VII. 7. 8. II. XXV. 29. Digna sunt, quae hic legantur verba LEIBNITII in Causa Dei §. 110. III. *Sufficientem volenti Gratiam nemini negari dicendum est. Facienti quod in se est, non desore gratiam necessariam vetus dictum est, nec Deus deserit nisi deserentem, ut post antiquiores notavit ipse Augustinus. Gratia haec sufficiens est vel ordinaria per verbum & Sacramenta; vel extraordinaria, Deo relinquenda, quali erga Paulum est usus. Etsi enim multi populi nunquam salutarem Christi doctrinam acceperint, nec credibile sit, predicationem ejus apud omnes, quibus defuit, irritam futuram fuisse, Christo ipso de Sodoma contrarium affirmante; non ideo tamen necesse est aut salvari aliquem sine Christo, aut damnari, etsi praestitisset, quicquid per naturam potest. Neque enim omnes viae Dei exploratae sunt, neque scimus, annon aliquid extraordinaria ratione praestetur vel morituris. Pro certo enim tenendum est, etiam Cornelii exemplo, si qui ponantur bene usi lumine, quod accepere, eis datum iri lumen, quo indigent, quod nondum accepere, etiamsi in ipso mortis articulo dandum esset. Eadem meditationes ulterius expositae deprehendantur in CARPOVII Theol. Rev. Dogm. T. II. §. 1443. sq. Deinde rudior minusque clara cognitio antiquis temporibus idem robur habere potuit, quod hodie longe exquisitior clariorque notitia exserit, ob magis speciosa dubia, quae nunc contra dictas veritates formari possunt, quaeque in opposita quasi lance collocata ad sensum debilitant, vel plane retinent. Denique ex IOBI IV. 12-16. XXXIII. 15-30. XXXVIII. 1. GEN. XX. 3. NVM. XXII. XXIII. XXIV. EBR. I. 1. patet, non modo Patriarchis membrisque Ecclesiae Judaicae, sed etiam aliis frequentes revelatio-*

revelationes immediatas tempore antiquissimo contigisse, quibus naturali ipsorum imbecillitati succurrere voluit Benignissimum Numen. Et quoniam Deus gratiam suam non denegat facienti, quod in se est: minus etiam ab eo, qui minus habuit, praequisiverit, necesse est. Nihil nunc restat, nisi ut pauca porismata addam, ex antecedentibus eruta, praesertim cum meditationum mearum usus aliquo modo inde reddatur manifestior.

## §. 27.

1) Quemlibet statum praesentem in regno naturae futuro impraegnatum esse, nemo ignorat. Pari ratione in regno gratiae ad sequentem statum semper in praecedenti facta est praeparatio. In statu enim patriarchali ad Vetus Testamentum, quemadmodum sub hoc ad Novum praeparati sunt homines (§. 19. 20.). Immo vero regnum gratiae est totum praeparatorium ad regnum gloriae JOH. III. 16. 2) In regno naturae pneumatico per sensibilia praeparatur facultas cognoscitiva ad intelligibilia recte percipienda (§. 22.). In regno gratiae per typos, tamquam sensibilia, praeparabantur homines ad recte capienda intelligibilia, quae complectitur oeconomia Novi Testamenti. Et quoniam omnis cognitio a sensatione incipit: nullus dubito, quin in regno gloriae caliculae per nova sensibilia ad nova intelligibilia recte capienda praeparentur. conf. Cel. REVSCHII Introductio in Theol. Revelatam §. 56. seqq. 3) Per typos, tamquam sensibilia, & qua talia, ad regnum naturae pertinentia, analogica variarum rerum cognitio suppeditabatur, quas in N. T. intuitive cognoscere licet (§. 21.). Pari ratione in hoc statu analogicam modo plurimarum rerum notitiam habemus, quas in futura vita intuebimur. 1. COR. XIII. 12. conf. Cel. REVSCHII l. c. §. 63. 4) Sicut Deus in regno naturae a rudioribus exorsus ea paullatim exasciavit, expolivit, perfecit, donec eam pulcritudinem consecuta

secuta sunt, in qua acquieuit: ita quoque in regno gratiæ initia rudiore esse voluit, quæ pro circumstantiarum ratione in pulcriore concinnitate lapsu temporis adfurrexerunt, donec in regno gloriæ ultima iis manus imponitur. En multiplex triplicis, quod statuitur, regni consensus atque harmonia. Quo major vero consensus, eo major perfectio. Per meam itaque theoriam major detegitur mundi perfectio, adeoque ipsemet eo clarius est Sapientiæ Divinæ Speculum.

*Schol. 1.* *Cognitionem intuitivam* dico, quam experiundo habemus. *Cognitio vero analogica (per speculum, in enigmate)* est illa, quam per similitudinem cum iis, quæ experti sumus, acquirimus. Ut universaliter dicta clariora fiant, distinctionem exemplo aliquo illustrare lubet. Qui vidit Rhinocerotem, ejus intuitivam habet cognitionem. Qui vero tantum in relationibus Hamburgensibus, vel historia quadam naturali legit, vel etiam ab alio audivit descriptionem per similitudines, quas hæc bestia cum aliis animalibus, nobis intuitive notis, habet, iis Rhinocerotis analogicam tantum habet cognitionem conf. REVSCHII l. c. §. 57.

*Schol. 2.* Facillimum mihi fuisset mundum vel certe nubem similitudinum adferre, si extra oleas saltare lubuisset. At eas modo adducere volui, quarum occasionem antecedentia suppeditarunt, & quæ non cuivis lectori sponte sua in mentem veniunt.

## §. 28.

Ab hac theoria si abstrahatur, bonitas Divina alia ratione vindicari nequit, quam quod in omnibus Oeçonomiis nemini sufficiens gratia defuerit. At non hoc tantum ex præstructa theoria constat, sed patet simul, Deum a primo fœderis gratiæ initio tantam hominibus tribuisse gratiam, quantæ capaces fuerunt. Cum itaque bonitas sit determinatio voluntatis ad faciendum alteri bene, eaque eo major sit, quo magis, quo plura & majora beneficia, in quo plures dignio-

H

resque

resque conferre appetit: haud obscure patet, Deum per omnes œconomias summam erga nos bonitatem exercuisse (§. 21.). Mundus itaque præfens est etiam clarissimum summæ bonitatis speculum.

*Schol.* Gloria Divina externa est manifestatio perfectionum Divinarum. Quodcumque igitur perfectionibus Divinis manifestandis inservit, illud quoque gloriæ Divinæ promovendæ velificatur. Præstruata itaque theoria huic scopo inservit (§. 27. 28.).

## §. 29.

œconomia gratiæ per omnes temporis períodos quoad essentialia plane eadem fuit (§. 21.). Hinc etiam PAULVS dicit, *non esse aliud Evangelium* GAL. I. 7. & testamentum illud, quod Christi sanguine initiatum est, *eternum* vocat HEBR. XIII. 20. Nisi itaque christiana religio esset vera revelatio, figmentum hominum & quidem antiquissimorum foret. Si jam ulterius perpenderit, quam mirifice perfectionibus Divinis manifestandis nostræque erga Deum obedientiæ provehendæ inserviat, quam exacte cum natura mentis nostræ conspiret, quam sapienter gratia nobis applicetur, quamque insignis sapientia ex accidentalibus hujus œconomix mutationibus eluceat (§. 21.): is sane fateri cogitur, majus sapientiæ documentum cogitari non posse. Conferri meretur Cel. MARTINI KVTZEN lectu dignissimus libellus, cui titulus: *Philosophischer Beweis von der Wahrheit der Christlichen Religion* &c. & in primis Sectio V. At hominum antiquissimi fuerunt etiam simplicissimi (§. 22. 23. 24. 25. 26.). Qui itaque veritatem religionis Christianæ negat, is defendere cogitur, quod homines simplicissimi, litterarum subsidiis fere destituti, tam admirandæ sapientiæ specimen ediderint, in quo recentiores Philo-

Philosophi, etiam acutissimi, postquam scientiæ incredibilia cepere incrementa, nihil invenire potuerunt, quod jure carpant, quin potius totum hoc doctrinæ systema sanæ rationis principiis convenientissimum judicant, quamvis multa contineat, quæ rationis spheram superant. Qui vero hæc concoquere valet, is sibi etiam persuadere poterit, rusticum Neuenkirkensem posse tabulas astronomicas conscribere, invenire longitudinem loci, quadraturam circuli, veras magnetismi, electricitatis, attractionis aliorumque phænomenorum æque perplexorum causas, ejusque credulitas tanta erit, ut omnibus Rabbistorum commentis aliisque æque anilibus fabulis devorandis sufficiat. Si præterea accidentales hujus systematis mutationes consideraverimus, simulque idem humanæ originis esse posuerimus: necesse est plures habuerit auctores, qui diversissimis temporibus vixerunt. At inter Oeconomias, quoad accidentales circumstantias diversas, mira & exactissima est harmonia. An itaque credibile est, homines, qui plus quam mille annos in serie successivorum a se invicem distiterunt, infigmentis, quæ omni certitudine objectiva desituuntur, iisque maxime arduis, condendis adeo exacte consentire potuisse; cum tamen inter Philosophos (quales etiam priores esse debuerunt), qui vel eodem vel non valde diverso tempore vixerunt 2) de rebus longe facilioribus, 3) quæ certitudinem habuerunt objectivam 4) mirus omni ævo fuerit dissensus. Si denique æqua mentis lance ponderaverimus, quam mirifice indoli facultatis cognoscitivæ in toto genere humano accommodatæ sint accidentales Oeconomix mutationes, adeo ut Philosophus hodiernus, isque in Psychologia versatissimus, aptiores cogitando adsequi nequeat (§. 21.): Davo, immo trunco & stipite stupidior erit, qui eas ab hominibus paganis antiquis-

simis, nihil magis quam veram animæ naturam ignorantibus, teste unanimi Scriptorum Historiæ Litterariæ consensu, excogitatas judicaverit. Quantitas enim effectus evidentissime superat vires causæ. Ex hisce meditationibus meis crediderim, argumenta pro veritate religionis Christianæ, quæ ex characteribus internis petuntur, haud parum corroborari atque muniri, quippe quibus hoc pacto accedit *certitudo moralis*, & quidem tanta, ut qui hanc religionis nostræ basin convellere audeat, admittere cogatur, quæ apertissimis veritatibus evidenter repugnant, adeoque manifesto absurda sunt. Indolem certitudinis moralis optime exposuerunt HVMREDVS DITTON de veritate Religionis Christianæ ex Resurrectione Christi P. II. Cap. 6. HOVTEVILLEVS de veritate Relig. Christ. ex factis LIB. II. CAP. II-V. & in compendio laudatus KNTZEN l. c. Sect. VI. Cap. I.

## §. 30.

Genti humanæ, per fictionem ut individuo humano considerata, triplex in antecedentibus tribuitur atas. In prima per pauca sensibilia, in secunda per plura, in tertia denique intellectuali ratione Oeconomia salutis proposita est. (§. 21.) Deus vero, ut sapientissimus, semper media eligit optima. Eum itaque si imitatur, veritates cælestes aliis inculcaturi: dubitari non potest, quin optimam methodum adhibuerimus. Hinc triplex nobis optandus esset catechismus. In *primo* principes religionis christianæ notiones & propositiones *infantulis* per sensibilia, ipsis nota, æsthetice proponerentur. In *altero* plures eadem methodo *adultioribus* traderentur. *Tertius* denique easdem veritates intellectuali ratione, ut fieri solet, expositas complecteretur, *in eorum gratiam, qui solido cibo vesci possunt*



possunt EBR. V. 14. Idem atatis gradus intuitu cognitionis occurrunt I. JOH. II. 14, nec dissimile discrimen aliis locis innuitur I. COR. III. 1. 2. I. PET. II. 2. Priores duo catechismi in unum contrahi possent, modo minutulis litteris vel aliis signis notarentur, quæ primæ atati nondum essent tradenda. At non minus difficilis quam utilis foret ejusmodi labor. Eundem tamen adgressuro haud levem operam præstant Æsthetica, quæ a Duumviris in Philosophia celeberrimis solide atque eleganter conscriptæ nuperrimeque editæ sunt.


*Schol. 1.* Propositionem principalem in præcedenti § contentam ex principiis psychologicis demonstratu non est difficile. At eandem hic considero non ut theorema psychologicum, sed ut corollarium theologicum.

*Schol. 2.* Contra methodum commendatam objici posset obscuritas, quæ omni cognitioni per similitudines acquisita inest, unde etiam cognitioni in N. T. tradita, quam quæ antea locum habuit, major tribuitur claritas (§. 21.). Quæ vero clariora sunt, primæ atati inculcanda videntur. At respondeo distinguendo inter *claritatem sensualem & intellectualem*. Illa adest, quando in sensibili satis notabiles instantioresque sunt ex determinationes, ad quas potissimum attendere debemus; hæc vero, quando rem per solos characteres nobis representamus. conf. Cel. REVSCHII Systema Logicum §. 250. & Cel. BAYMGARTII Metaph. §. 531. Distinctionis applicatio est facillima. Intellectualis quidem claritas, cæteris paribus, sensualem gradu superat. At quemadmodum imbecilles oculi ad majorem luminis copiam plane cæcipientes minus lumen ferre queunt, atque sic officio suo haud infeliciter fungi: ita quoque intellectualis claritas in prima atate debilem cognoscendi facultatem adeo percellit, ut nihil fere percipiat, quamvis sensibilibus clare representandis sufficiat. Quæ etiam ratio fuit, cur gradatim tam ratione extensionis, quam intensiōis Systema doctrinæ salutaris nobis revelatum sit, quemadmodum ex antecedentibus satis superque constat. Hinc eleganter WITSIVS: *non primo, inquit, diei gratia*

gratia crepusculo tam fulgida luci, claritas conveniebat, quanta reservata erat meridiei. Oecon. Fœd. Lib. IV. Cap. I. §. 16. p. m. 567.

## §. 31.

Denique mente nunquam satis venerabunda complecti valeamus inestimabile illud Dei Optimi Maximi beneficium, quo non primo diei gratiæ diluculo, non mox post ortum clariorem solem, sed plena meridie in hanc lucem editi, majoris gratiæ gradus & capaces & participes facti sumus. Sed quo major merito hæc censenda est felicitas? eo magis quoque augetur nostra obligatio omnes nervos intendendi, ut fidei firmitate sinceroque pietatis ardore veram nostram perfectionem promoveamus. Quemadmodum vero felix merito prædicandus est, qui ad hanc cynosuram omnes actiones suas direxerit: ita infelicitas ejus est deploranda, qui aliter vitam suam instituit. Si enim servus, qui novit voluntatem Domini sui, nec tamen facit illam, multum percutietur: sequitur omnino, ut quo magis noverit, eo majori quoque poena sit afficiendus.





26 MANSVELTERRAE HARRITTE 4. 11.

1700. In dem Jahr...  
1701. In dem Jahr...  
1702. In dem Jahr...  
1703. In dem Jahr...  
1704. In dem Jahr...  
1705. In dem Jahr...  
1706. In dem Jahr...  
1707. In dem Jahr...  
1708. In dem Jahr...  
1709. In dem Jahr...  
1710. In dem Jahr...

1711

1711. In dem Jahr...  
1712. In dem Jahr...  
1713. In dem Jahr...  
1714. In dem Jahr...  
1715. In dem Jahr...  
1716. In dem Jahr...  
1717. In dem Jahr...  
1718. In dem Jahr...  
1719. In dem Jahr...  
1720. In dem Jahr...

1721

1721. In dem Jahr...  
1722. In dem Jahr...  
1723. In dem Jahr...  
1724. In dem Jahr...  
1725. In dem Jahr...  
1726. In dem Jahr...  
1727. In dem Jahr...  
1728. In dem Jahr...  
1729. In dem Jahr...  
1730. In dem Jahr...

1731

1731. In dem Jahr...  
1732. In dem Jahr...  
1733. In dem Jahr...  
1734. In dem Jahr...  
1735. In dem Jahr...  
1736. In dem Jahr...  
1737. In dem Jahr...  
1738. In dem Jahr...  
1739. In dem Jahr...  
1740. In dem Jahr...



00 A 6416

ULB Halle  
002 916 500





3

ULB Sachsen-Anhalt  
Ausgegeben  
Datum: 2008

R







Q. D. E. V.  
SPECIMEN TELEOLOGICÆ THEOLOGICÆ  
DE  
**TEMPORIS PLENITUDINE**  
AD GAL. IV. 1-4.

QVOD  
DIVINA ADFVLGENTE GRATIA  
ET CONSENTIENTE VENERANDO THEOLOGORVM ORDINE  
*IN ACADEMIA REGIA GRYPHICA*  
PRÆSIDE  
VIRO MAGNIFICO SVMME VENERABILI  
ET GENEROSISSIMO DOMINO  
**JAC. HENRICO de BALTHASAR**  
S. S. THEOLOGICÆ DOCTORE ET PROFESSORE PRIMARIO  
REGII CONSISTORII PRÆSIDE GRAVISSIMO  
ECCLESIAEVM PER. POMER. CITER. GENERALI SVPERINTENDENTE  
ACADEMIÆ GRYPHICÆ PROCANCELLARIO PERPETVO  
ET CVRATORE SPECTATISSIMO  
FACVLTATIS THEOLOGICÆ H. T. DECANO &c.  
*IN AVDITORIO MAIORI*  
PRO SVMMIS  
IN THEOLOGIA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS OBTINENDIS  
DIE OCTOBRIS ANNI MDCCL  
PVBLICO EXAMINI SVBMITTIT  
**LEVIN MÖLLER**  
LOGICES ET METAPHYSICES PROFESSOR REG. ORDIN.  
IMPRIMEBAT HIERON. JOH. STRVCK.

